CIMICUM
REGNI NEAPOLITANI

CENTURIA

auctore

ACHILLE COSTA

REGIAE NEAPOLITANAE ACADEMIAE EX TITULO

ISTITUTO D' INCORAGGIAMENTO

Exhibita et approbata Ianuario MDCCCXXXVIII

CUM TABULA AENEA

ex actorum instituti volumine septimo

INSTITUTI MEMBRIS.

Et mihi hujus Speciminis subiectum pro nihilo haberi, ut animalia ipsamet de quibus tractaturus sum in vulgus tenentur, suspicandum erit? Si hoc in communi hominum cœtu pertimescendum, in hoc certe sapientiorum virorum consessu, quorum utique judicium est superbissimum, haud eventurum puto: eo minus, quo magis vestri Instituti scientiarum naturalium progressus finis est, quae hujus mei opusculi subiectum constituunt.

Hoc mihi suasit hanc primam Centuriam offerre, quae indigenas Hemipterorum Heteropterorum species amplectitur.

Hic insectorum ordo, cum a paucis usque adhuc perscrutatus fuerit, vel ignota, vel incerta, vel obscure transmissa quamplurima superesse me in suspicionem adducebat; inter nostratia praesertim de quibus perpauci disseruere. Et revera, Vincentius Petagna in suis Institutionibus Entomologicis centumduo refert species, quarum tres figuris etiam illustravit; quae vero nostrates sint quaeque exoticae non explicavit, neque aliquid novi adjecit. Ex Calabriis ipse Petagna octodecim jam cognitas species

enumeravit (1), et tredecim Costa in Fauna Aspromontis (2). Dominicus Cyrillus Neapolitanam Entomologiam illustrare aggressus (3), undecim descripsit species, iconibus ornatas, quarum tres vel ad summum quatuor novae (quamvis ita non esset) apparent. Denique ipse Costa octo ex Neapolis perimetro species notavit (4), quarum tres quasi novas signavit, de quibus in suo loco dictum erit.

Quare, scientia et nostri regni Fauna, insecta ista sicut et alia reliquorum ordinum illustrari jure requirunt. Id enim videtur turpe quod, dum in omni regione ad patriae entomata illustranda unus vel plures incubuerunt vel incumbunt, Entomologia Neapoliatan adhuc quasi omnino ignota extet; ita ut nullus auctor de ea mentionem faciat, atque in solis geografiae tabulis haec extrema et uberior Italiae pars vix in forma concludatur.

Cum ideo ad species Hem. Heteropterorum regni neapolitāni indigenas colligendas, eisque omni cura studere incubuissem, primam hanc Centuriam hujus doctorum consessus sapienti integroque judicio submitto, non honoris et gloriae causa, sed ut emendationibus auditis melius meos gradus dirigere va l,eam atque temporis progressu utilem fieri patriae et societati.

Quoad systema, Burmeisterii (5) et Spinolae (6) recentioribus utar; nec ullum audeo in eorum doctrinam judicium afferre, nec hic locus et tempus est. Tantum, si qua in alicujus

(1) *Specimen Insectorum Ulterioris Calabriae.*

(2) *Fauna d'Aspromonte*: in Regiae Neapolitanae Scientiarum Academiae actis, vol. IV.

(3) *Specimen Entomologiae Neapolitanae.*

(4) *Annuario Zoologico per l'anno 1834.*

(5) *Handbuch der Entomologie.* Vol. II. 1835.

(6) *Essai sur les Hémiptères Hétéères por* Genes 1837.

generis vel familiae characteribus, ex observatione, adjiciendá existimavi adjeci, si mutanda mutavi.

Neque de studio quod hujus ordinis insecta Entomologis non minus, quam iis qui in agrorum reique domesticae curam incumbunt excitare debent, mihi est in animo disputare: cum enim ad tantos viros sermonem dirigam, quidquid, ut eadem ulterius pateſiant, dicere possem supervacaneum fore arbitror.

Gratum mihi est sperare unanimi indulgentia hoc opus accepturos, quod mihi satis erit ut melius id ipsum perficere valeam.

INSECTA

ORDO V.^us HEMIPTERA, *LIN.*

SECTIO I.^a HETEROPTERA, *DUF.*

Familia I.^a NOTONECTINI.

Corpus *convexum*. Ocelli *inconspicui*. Antennae *breves*, *sub oculos absconditae*. Pedes *antici simplices*, *breves*: *medii anticis longiores*: *postici compressi*, *fimbriati*.

Genus CORIXA, *Geof.*

Corpus elongatum, parum convexum. *Antennae* 4-articulatae: articulo 1.° secundi longitudine, 3.° longiori, 4.° tenui acuto. ***Rostrum*** (1) breve, latum. *Pedes* antici brevissimi, tarso 1-articulato longe fimbriato: medii posticis subaequales, tarso 2-articulato unguiculis duobus tenuissimis armato: postici tarso 2-articulato haud unguiculato. *Scutellum* haud conspicuum.

Observatio. Mirum quod dominus Laporte (2) tarsos omnes 1-articulatos et unguiculis destitutos dicat; medii et postici enim, sicut et descripsimus, biarticulati sunt atque medii unguiculis non carent: quem in errorem et Geoffroyus incurrit dicens, *tarsorum articulus unicus* (3).

1. (1) Corixa striata. (Geof. *Hist. Tab. IX fig. VII.*)

C. *testaceo-flavescens; prothorace lineis transversis nigris, divisis vel subanastomizantibus; elytris lineolis numerosis nigris transversis*,

---

(1) Brevitatis causa *rostri* nomine, ejus vaginam significamus.

(2) Essai d'une classification systematique de l'Ordre des Hémiptères.

(3) Histoire abrégée des Insectes, 1. pag. 477.

interruptis, flexuosis ; sterno nigro ; abdomine supra nigro marginibus late testaceo-rufescentibus. ♂. ♀. — Long. lin. 4: lat. lin. 1 ⅓.

Corixa striata, Geof. Latr. Burm.

Notonecta striata, Lin.

Sigara striata, Fab.

La Corise, Geof.

Habitat in acquis stagnantibus.

Nota. Femina ventre basi plus minusve nigro.

2. (2) Corixa basalis, *nob. Fig. 1.*

C. *pallide-flava ; prothorace lineis sex transversis nigris, integris; elytris lineolis transversis brevibus parum sinuosis flavescentibus, basi interna pallide flavâ lineis nigris majoribus transversis rectis; abdomine supra testaceo basi nigro.* ♂. ♀. — Long. lin. 3: lat. lin. 1.

Habitat in aquis stagnantibus vel pigre fluentibus ; prope Neapolim.

Observatio. A *Corixa hieroglyphica* staturâ majori, corpore subtus in utroque sexu pallide flavo immaculato elytrorumque colore ac lineolarum dispositione satis differt.

3. (3) Corixa hieroglyphica. (Dufour, *Recher. sur les Hém. Tab. VII, fig. 85.*)

C. *testaceo-flavescens ; prothorace lineis sex vel septem nigris transversis, integris ; elytris cinereo-pallidis, lineolis punctisque transversis, irregularibus, interruptis, subconcatenatis nigris ; sterno griseo ; abdomine supra nigro marginibus testaceo-rufescentibus, subtus pallide flavo* ♂, *nigro-cinereo* ♀ *; tarsis posticis apice obscuris.* — Long. lin. 2 ⅓: lat. ¾. lin.

Corixa hieroglyphica, Duf. Burm. Spin.

Corixa fossarum. Fall.

Corixa strigata, Lat. (*His. gen. des. Ins.* XII, *p.* 289, *n.* 4.)

Frequens in aquis stagnantibus.

Observatio. Clar. Spinola hanc speciem maximam inter Corixas europaeas esse asserit (1).

—— *varietas* minor, coloribus pallidioribus elytrorumque lineolis subtilioribus.

Habitat cum praecedente.

(1) Essai sur les genres d' Hémipt. Hétéropt. p. 36.

Genus NOTONECTA, *Lin.*

Corpus elongatum, valde convexum. *Antennae* 4-articulatae: articulo 1.° brevi, 2.° longiori subinflato, 3.° cylindrico, 4.° brevissimo. *Rostrum* conico-elongatum. *Tarsi* 2-articulati: antici et medii unguiculis duobus armati, postici haud unguiculati. *Scutellum* conspicuum.

1. (4) Notonecta glauca. *(Schell. Cim. Helv. Tab. X).*

N. *nigra; capite, prothorace, pedibus abdominisque marginibus luteo-virescentibus; scutello atro, opaco; elytris testaceo-ferrugineis, maculis irregularibus punctisve nigris.* ♂ ♀. — Long. lin. 7: lat. lin. 2 ½.

Notonecta glauca, Lin. Fab. Burm. Spin.

La grande punaise à avirons, Geoff.

Frequens in aquis stagnantibus et parum fluentibus.

2. (5) Notonecta furcata. *(figura deest?)*

N. *nigra; capite, prothorace, pedibus abdominisque marginibus luteo-virescentibus; scutello atro, opaco; elytris obscuris, basi vittis duabus obliquis abbreviatis flavo-luteis, punctisque ferrugineis in margine externo.* ♂ ♀. — Long. lin. 7: lat. lin. 2 ½.

Notonecta furcata, Fab.

Habitat cum praecedente, a qua elytrorum colore tantum distinguitur.

3. (6) Notonecta nivea. *(figura deest.)*

N. *albo-flavescens, margaritacea, abdomine subtus obscure cinereo.* ♂ ♀. — Long. lin 3-4: lat. lin. ¾-1.

Notonecta nivea, Fab. Burm. Costa (1).

Anisops niveus, Spin.

Frequens prope Neapolim in lacu Aniano, vulgo *Agnano.*

Observatio. Mas fronte magis producto, acuminato, subtus subcanaliculato a femina differt: et hac de causa clar. Spinola genus novum ex hac specie constituit.

---

(1) *Fauna di Aspromonte*, Reg. Neap. Scient. Acad. IV, Zoologia, p. 167.

Genus PLOA, *Steph.*

Corpus valde convexum, breve. *Antennae* breves, 4-articulatae: articulo 3.° longiori. *Rostrum* elongatum, acuminatum. *Pedes* breves, tarsis 2-articulatis. *Scutellum* conspicuum.

1 (7) Ploa minutissima. *(figura deest.)*

P. pallide griseo-flavescens; sterno abdomineque nigris ♂ ♀ — Long. lin. 1: lat. lin. ⅔.

Ploa minutissima, Steph. Burm.

Plea minutissima, Leach. Lapor. Spin.

Notonecta minutissima, Lin. Fab.

Frequens prope Neapolim in lacu Aniano.

Familia II.ª NEPINI.

Corpus *convexum*. Ocelli *inconspicui*. Antennae *brevissimae*, *sub oculos absconditae*. Pedes *antici cheliformes*, *femoribus magnis: medii et postici plus minusve elongati.*

Genus RANATRA, *Fab.*

Corpus lineare, setis duabus postice terminatum. *Antennae* 3-articulatae. *Rostrum* subbreve, antice productum. *Pedes* longissimi, tarsis 1-articulatis: anticis unguiculo unico, mediis et posticis unguiculis duobus armatis.

1. (8) Ranatra linearis. (Scell. *Cim. Helv. Tab.* XIII).

R. *brunneo-flavescens; abdomine supra testaceo-rufescente.*— Long. (setis caudae exceptis) lin. 17: lat. lin. 1 ⅓.

Ranatra linearis, Fab. Latr. Burm. Spin.

Nepa linearis, Lin.

Le scorpion aquatique á corps allongé, Geoff.

In aquis stagnantibus, parum frequens.

Genus NEPA, *Lin.*

Corpus ellipticum, setis duabus postice terminatum. *Antennae* 3-articulatae. *Rostrum* brevissimum, inflexum. *Pedes* mediocres, tarsis 1-articulatis: anticis unguiculo nullo, mediis et posticis unguiculis duobus armatis.

1 (9) Nepa cinerea. (Scell. *l. c. Tab.* XIV.)

N. *obscure cinerea; abdomine supra testaceo-rufescente; setis caudalibus dimidiâ corporis longitudine.* — Long. (setis exceptis) lin. 10: lat. lin. 4.

Nepa cinerea, Lin. Fab. Latr. Burm. Spin.

Le scorpion aquatique à corps ovale, Geoff.

Habitat in aquarum stagnantium et pigre fluentium fundo.

Genus NAUCORIS, *Geoff.*

Corpus ovoideum, setis nullis. *Antennae* 4-articulatae. *Rostrum* breve, conicum. *Pedes* mediocres: antici femoribus valde incrassatis, tibiis arcuatis, tarso 1-articulato haud unguiculato; medii et postici simplices, tarsis 2-articulatis unguiculis duobus armatis.

1. (10) Naucoris cimicoides. (Schel. *l. c. Tab.* XII).

N. *alata, livido-virescens; capite medio fusco-punctato; prothorace maculis duabus magnis transverso-quadratis e punctis minimis fuscis; alis albo-lacteis.* — Long. lin. 5-6: lat. lin. 3 ½-4.

Naucoris cimicoides, Fab. Latr. Burm. Spin.

Nepa cimicoides Lin.

La naucore, Geoff.

Habitat in Sebeti aquis.

Familia III.ª GALGULINI.

Unicam hujus familiae europae speciem hucusque bene cognitam (Pelegonus marginatus) *in regno neapolitano nondum invenimus.*

Familia IV.ª LEPTOPODINI.

Plures ex genere Salda *Fabricii* (Acanthia, *Latr.*) *species in regno invenimus, quarum nonnulla illustranda: de iis in altera centuria mentio erit.*

Familia V.ª HYDROMETRINI.

Corpus *elongatum*, *depressum.* Ocelli *inconspicui.* Antennae *patulae*, *longae*, *filiformes.* Rostrum *3-articulatum.* Pedes *simplices*, *saepius gracillimi*, *tarsis unguiculis duobus in scissura ante apicem insertis armatis.*

Genus HYDROMETRA, *Fab.*

Corpus lineare, capite antice valde producto. *Antennae 4-articulatae*: articulo 1.° crassiori, 3.° et 4.° filiformibus tenuissimis, 3.° longiori. *Rostrum* breve, arcuatum. *Pedes* longi, gracillimi, tarsis 2-articulatis.

1. (11) Hydrometra stagnorum. (Schel. *l. c. Tab.* IX, *adhuc aptera*).

H. *obscure brunnea; antennis, rostro, elytris, abdominis marginibus pedibusque fusco- testaceis.* — Long. lin. 5-6: lat. ⅛ lin.

Hydrometra stagnorum, Fab. Latr. Spin.

Cimex stagnorum, Lin.

Limnobates stagnorum, Burm.

La punaise aiguille, Geoff.

Habitat in aquis stagnantibus vel pigre fluentibus. In Pithecusarum insula in aquis termalibus supra *palmellam* spatiatur.

Genus GERRIS, *Fab.*

Corpus elongatum, capite brevi. *Antennae* 4-articulatae :

articulis aeque filiformibus, 1.° longiori. *Pedes* longi, graciles, tarsis 2-articulatis. *Rostrum* breve, arcuatum.

Observatio. Clar. Laporte (l. c.) pedes quatuor anticos haud unguiculatos refert: unguiculi tamen duo distincte observantur.

1. (12) Gerris aptera. (Duf. *l. c. Tab.* V, *fig.* 59).

G. *omnino aptera: supra fusco-olivacea, oculo armato aeneo-pubescens, abdominis segmentorum angulis posticis rufescentibus; subtus sericeo-argentea; abdomine apice in dentem validum acutissimum utrinque producto.* — Long. lin. 6-7 ½: lat. lin. 1 ½.

Gerris aptera, Schum. (*Monographie des Plotères*).

Gerris canalium, Duf.

Frequens in aquis stagnantibus, et tarde fluentibus.

Aliae etiam hujus generis species in regno invenimus, de quibus in altera Centuria tractabimus.

Genus VELIA, *Latr.*

Corpus subbreve, capite antice haud producto. *Antennae* 4-articulatae: articulo 1.° longiori arcuato, reliquis aequalibus. *Rostrum* breve, rectum. *Tarsi* elongati, 3-articulati: articulo 1.° brevi. *Scutellum* sub prothorace reconditum.

1. (13) Velia rivulorum. (Wolff, *Icon. Cim. Tab. XX, f. 195.*)

V. *nigra, prothorace fusco-cinnamomeo, maculis duabus anticis sericeo-argenteis; elytris lineola humerali punctisque tribus albis; abdomine fulvo, immaculato; femoribus in mare incrassatis, bidentatis serrulatisque.* — Long. lin. 4: lat. lin. 1.

Velia rivulorum, Latr. Burm. Spin.

Hydrometra rivulorum, Fab. Wolff.

Cimex rivulorum, Lin.

Super aquas stagnantes ambulat, et nonnumquam advolat. Parum frequens.

2. (14) Velia currens. (Coqueb. *Illus. dec.* 2, *T. XIX, f. 11.*)

V. *omnino aptera, nigro-subaenea; prothorace maculis duabus an-*

ticis sericeo-argenteis ; abdominis marginibus fulvis , nigro-punctatis ; ventre fulvo ; femoribus posticis in mare parum incrassatis, bidentatis serrulatisque. — Long. lin. 3-4: lat. lin. 1.

Velia currens , Latr. Burm. Spin.

Hydrometra currens, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Gerris currens, Fab. (*Ent. Syst.*).

Frequens in aquis stagnantibus , in rivulis etc.

Nota. In mare lineola sericeo-argentea in abdominis dorso in quovis segmento utrinque observatur.

Genus HEBRUS , *Curtis.*

Corpus breve , capite antice haud producto. *Antennae* 5-articulatae. *Rostrum* breve , rectum. *Scutellum* conspicuum. *Tarsi* 3-articulati.

1. (15) Hebrus pusillus. (Westwood, *Annal. de la Soc. Entom. de France, III, Tab. VI. f. 6.*)

H. *supra fusco-cinnamomeus, subtus niger; elytris maculâ humerali oblongâ obliquâ, punctisque tribus in membrana albo-lacteis.* — Long. ¾ lin.: lat. 1/3 lin.

Hebrus pusillus, Curtis , Westw. Burm.

Prope Neapolim in lacu Aniano invenitur , ubi ad lacus margines super lemnam quae inter Arundines (Arundo phragmitis) vegetat, lente progreditur. In Aenaria insula autem super aquarum termomineralium confervas quae rupes contegunt , loco dicto *bubù*, unà cum *Hydrometra stagnorum* vivit.

Familia VI.ª REDUVINI.

Corpus *ovato-elongatum* , *rarius filiforme* , *capite postice in collum producto.* Antennae *longae* , *graciles.* Ocelli *conspicui.* Rostrum *liberum*, *arcuatum*, *3-articulatum* , *articulis distinctis.* Pedes *mediocres vel longi*, *tarsis 3-articulatis 2-unguiculatis.*

Genus PLOJARIA, *Scop.*

Corpus lineare. *Antennae* corpore longiores, gracillimae, 4-articulatae, post primum articulum fractae: articulis 1.° et 2.° longissimis, 3.° et 4.° brevibus. *Rostrum* breve, sat arcuatum. *Pedes* antici mediocres, coxis magnis, femoribus incrassatis: medii et postici longissimi, gracillimi: tarsi brevissimi.

1. (16) Plojaria vagabunda. (Wolff, *Icon. Tab. XX, f. 197.*)

P. *brunnea, antennis pedibusque albidis fusco-annulatis; elytris albo-hyalinis, areolis punctisque fuscis; scutello spinâ brevi, tenui.* — Long. lin. 1 ¾ - 2: lat. 1/3 - ½ lin.

Plojaria vagabunda, Latr. Lap. Spin.

Plojaria alata, Scop.

Gerris vagabunda, Fab. Schell. (*Tab.* VIII), Wolff.

Cimex vagabundus, Lin.

Prope Neapolim passim occurrit, mensibus Februarii et Martii.

Observatio. Cimex vagabundus, de Willers (Icon. Ent. Lin. tab. III, fig. 26) ad *Plojariam domesticam* spectat.

Genus HARPACTOR, *Lap.*

Corpus oblongum, prothorace ante medium transversim sulcato. *Antennae* 5-articulatae, longae, post primum articulum fractae: articulo 1.° brevissimo, 2.° caeteris longiori, 3.° 4.° et 5.° subaequalibus. *Rostrum* pedum anteriorum originem attingens. *Pedes* elongati: tarsorum unguiculi basi dente instructi.

Observatio. Claris. Spinola antennarum articulum primum quasi auxiliarem ac dein eas 4-articulatas considerat. Dm. Laporte etiam 4-articulatas refert; ex articulorum proportionum descriptione tamen clare patet basilarem quasi verum articulum considerasse, quo in casu articuli quinque enumerari debent.

1. (17) Harpactor cruentus. (Wolff, *Icon. Tab. IV, f. 38.*)

H. rufus; capite, gulâ exceptâ, antennis, rostri apice, prothoracis cruce mediâ et lateribus posticis, abdominis dorso, maculis margina-

libus vittisque tribus ventralibus, femorum annulo lato medio, geniculis, tibiarum apice tarsisque nigris. — Long. lin. 7-9: lat. lin. 2-2 ¼.

Harpactor cruentus, Burm.

Reduvius cruentus, Fab. Lat. Wolff.

Frequens in toto regno.

Variat: *a*, ventre nigro immaculato.

b, scutelli apice pallide flavo.

c, prothorace rufo, cruce anticâ tantum nigrâ (rarior).

2. (18) Harpactor haemorrhoidalis. *(figura deest?).*

H. *rufus vel rufo-ferrugineus; antennis, rostro, pectore, capitis maculis posticis, prothoracis punctis anticis concatenatis, abdominis maculis marginalibus, femoribus interne, tibiarum basi apiceque tarsisque nigris; prothoracis marginibus postico-lateralibus flavis; scutello nigro lineâ mediâ rufâ.* — Long. lin. 6 ¼: lat. lin. 2.

Reduvius haemorrhoidalis, Fab.

Cimex tessellatus, Lin. (*Faun. Suec.* edit. aucta), Pet.

In regni regionibus meridionalibus nec non in Aprutiis: parum frequens.

Variat: *a*, capite nigro, gulâ et punctis superioribus rubris.

b, rostri basi rufâ.

c, prothoracis marginibus latero-posterioribus concoloribus.

d, scutelli lineâ albâ vel flavescente.

e, abdomine nigro, maculis marginalibus subquadratis rufis vel carneis.

Observatio. Ab Harpactore cruento prothorace rufo punctis anticis tantum nigris, scutelli lineâ mediâ coloratâ et femorum facie internâ nigrâ constantius differt.

3. (19) Harpactor annulatus. (Wolff, *Icon. Tab. VIII, f. 78.*)

H. *niger; abdomine subtus medio maculisque subquadratis marginalibus, femorum annulis tribus, tibiarumque annulo unico basali rufis; scutello apice extimo pallido.* — Long. lin. 5 ¾: lat. lin. 1 ¾.

Harpactor annulatus, Burm. Spin.

Reduvius annulatus, Fab. Latr. Wolff.

Cimex annulatus, Lin.

La punaise-mouche à pattes rouges, Geoff.

Passim prope Neapolim occurrit, mensibus Maji et Junii, nec non in aliis regni regionibus.

Variat: ano rufo vel nigro.

4. (20) Harpactor pedestris. (Wolff, *Icon. Tab. XX*, *fig. 199*, *incompletus*).

H. *griseo-cinereus; rostro, pectore, abdominis maculis marginalibus femorumque annulis fuscis; tibiis annulo basali pallido; femoribus anticis paululum incrassatis.* — Long. lin. 5: lat. ⅔ lin.

Reduvius pedestris. Wolff.

Oncocephalus pedestris, Spin.

Coranus subapterus, Curt.

Prope Neapolim, alatus elytrisque completis neque abbreviatis occurrit. In Samniticis autem montibus alis fere destitutus est, elytrisque abbreviatis, sicut et Wolffius (fig. cit. *a 6.*) effinxit atque descripsit.

Observatio. Claris. Spinola speciem hanc ad genus *Oncocephalus* Klugii pertinendam putavit. Nos autem nullo pacto a genere *Harpactor* separandam existimamus, cum iisdem omnino illius characteribus gaudeat. Quod si etiam Spinolae systemati insistamus, atque *R. pedestrem* cum *Onc. notato*, Kl. aut *griseo*, Sp. comparemus, nullimode ad genus hoc illam referendam esse patet. Et revera, femora antica in *R. pedestri* vix caeteris crassiora, dum in *O. griseo* sat incrassata sunt: capitis pars antica posticae in illo subaequalis est, dum in *O. griseo* antica posticam valde superat. Neque in Burmeisterii methodo ad genus *Oncocephalus* referri potest, cum in R. *pedestri* tarsorum unguiculi dente basi instructi sint, sicut et in gen. *Harpactor*, dum in generis *Oncocephalus* speciebus nullum dentium rudimentum observatur.

Habitu denique ac antennarum structura et proportione maxime ad Harpactores neque ad Oncocephalos accedit.

Genus REDUVIUS, *Fab.*

Corpus oblongum. *Antennae* 4-articulatae, haud fractae: articulo 1.° crassiori, longitudine mediocri, 2.° caeteris longiori gracili, 3.° et 4.° setiformibus. *Rostrum* pedum anteriorum originem haud attingens. *Pedes* mediocres: tibiis 4 anticis apice intus oblonge spongioso-foveolatis: tarsorum unguiculis haud dentatis.

1. (21) Reduvius personatus. (Wolff, *Icon. Tab. VIII*, *f.* 76.)

R. *fusco-nigricans*, *villosus*, *scutelli apice acute producto; elytris totim coriaceo-membranaceis.* — Long. lin. 8: lat. lin. 2 ⅔.

Reduvius personatus, Fab. Schell. (*Tab.* VII, *f.* 1). Latr. Burm. Spin.

Cimex personatus, Lin.

La punaise mouche, Geoff.

Prope Neapolim semel in colle Camaldulensi mense Julii domi legimus: frequentior in Abrutiis.

Genus PEIRATES, *Servil.*

Corpus oblongum, prothorace post medium transversim sulcato. *Antennae* 4-articulatae, haud fractae: articulo 1.° crassiori subbrevi, 2.° subvalido, 3.° et 4.° setiformibus. *Rostrum* pedum anteriorum originem vix attingens. *Pedes* mediocres: femoribus anticis valde incrassatis: tibiis 4 anticis apice intus oblonge spongioso-foveolatis: tarsorum unguiculis haud dentatis.

1. (22) Peirates stridulus, *Fig.* 2.

P. ater nitidus, subvillosus; prothoracis lobo antico lineolâ dorsali impressâ; elytrorum corio rubro, margine interno maculis duabus atris, membranâ nigro-fumosâ, maculâ magnâ aterrimâ; abdomine rubro, ano nigro. — Long. lin. 6: lat. lin. 1 ⅔.

Peirates stridulus, Servil. (1) Lap. Burm. Spin.

Reduvius stridulus, Fab. Ros. Wolff. (*Ic. T.* XII. *f.* 119. *mala*).

Reduvius studulus, Schel. (*Cim. Helv. Tab.* VII, *f.* 2).

Prope Neapolim aliisque in regni regionibus.

Nota. Femina elytris rufo-ferrugineis vel flavo-ferrugineis, maculis consuetis nigris.

Genus PROSTEMMA, *Lap.*

Corpus oblongum, prothorace post medium transversim sulcato. *Antennae* 5-articulatae: articulo 1.° subcrassiori, 2.°

(1) Ann. des Scien. Natur. juin 1831.

brevissimo lente conspicuo, 3.° longiori apice subinflato, 4.° et 5.° setiformibus. *Rostrum* pedum anteriorum originem vix attingens. *Pedes* breves: antici femoribus sat incrassatis, tibiisque apice dilatatis: tibiis 4 anticis oblonge spongioso-foveolatis: tarsorum unguiculis haud dentatis.

1. (23) Prostemma lucidulum (*figura deest?*)

P. *niger; rostro, prothoracis lobo postico, sterno, elytrorum corio abbreviato, scutello femoribusque anticis rufis: elytrorum membranâ parvâ nigrâ, maculâ basali alterâque majori apicali albis; pedibus 4 posticis nigris femorum tibiarumque basi, cum tibiis anticis subtestaceis; antennis testaceo-rufis, articulo 3.° apice nigro.* — Long. lin. 3 ¼: lat. lin. 1.

Prostemma lucidulum, Illig. (ex Spinola).

Prope Neapolim occurrit sub lapidibus, in campis, etc. parum frequens.

Observatio. A Prostemma guttula staturâ minori et colorum dispositione satis distinguitur. Specimina nostra antennis non totim nigris a descriptione a cl. Spinola exhibitâ tantum differunt.

Genus Nabis, *Latr.*

Corpus oblongum vel elongatum, prothorace post medium transversim impresso. *Antennae* 4-articulatae, graciles, elongatae, post primum articulum fractae. *Rostrum* tenue, pedum mediorum originem excedens. *Pedes* mediocres, graciles: tibiis 4 anticis apice oblonge spongioso-foveolatis: tarsorum unguiculis haud dentatis.

1. (24) Nabis subaptera. (Hahn, *Die Wanzen. Ins.* 1. *Tab.* VI, *fig.* 24).

N. *alis minimis elytrisque abbreviatis: griseo-ferrugineus; prothoracis marginibus, scutelli lineâ dorsali pectoreque nigris; abdomine nigro, maculis marginalibus rufis; pedibus griseis, fusco-maculatis.* Long. lin. 3 ¼: lat. lin. 1 ¼.

Nabis subaptera, Latr. Burm.

Aptus subapterus, Hahn
Reduvius apterus, Fab. Wolff (*Tab.* XX *f.* 200).
Nabis myrmicoides, Costa (1) (*pupa*).
Frequens in toto regno.
Variat: *a*, abdomine griseo-ferrugineo, maculis marginalibus nigris.
b, prothorace medio maculâ nebulosâ nigrâ.
c, scutello immaculato.

Observatio. Prope Neapolim specimina invenimus alis elytrisque completis, abdomen longitudine superantibus; quibus male epithetum *subaptera* aptatum.

Nabis myrmicoides Costae ad hujus speciei pupam a Wolffio in fig. 200 *c d* effietam referenda.

Familia VII.ª PHYMATINI.

Corpus *ovulare*, *depressum.* Ocelli *conspicui.* Antennae *breves*, *clavatae.* Rostrum *3-articulatum*, *sulco pectorali incumbens.* Pedes *breves: antici cheliformes*, *femoribus incrassatis: tarsis 3-articulatis: unguiculis membranâ nullâ basi instructis.*

Genus PHYMATA *Latr.*

Antennae ante oculos insertae, in quiete prothoracis sulco laterali reflexae, 4-articulatae: articulo 1.° brevissimo, 2.° et 3.° subaequalibus, 3.° graciliori, 4.° caeteris unâ longiori, valido, cylindrico vel subovato. *Rostrum* validum brevissimum, arcuatum. *Scutellum* parvum, elytra haud tegens.

1. (25) Phymata crassipes. (Wolff, *Tab.* IX, *fig.* 82).

Ph. *fusco-rufescens, subtus cum antennis pedibusque pallidioribus; capite supra obscuro, plano, scabriusculo, apice bifido; prothoracis dorso bicarinato, illius abdominisque lateribus dilatatis, reflexis, den-*

(1) Annuario Zoologico per l'anno 1834 p. 71.

tatis; abdomine utrinque ad basim albido; tibiis tetragonis asperulis. Long. lin. 3 ¾-4: lat. max. lin. 1 ¾-2.

Phymata crassipes, Latr. Encycl. Lap. Spin.

Syrtis crassipes, Fab. (*Syst. Ryng.*), Burm.

Acanthia crassipes, Fab. (*Ent. Syst.*), Panz. Wolff.

La punaise à pattes de crabre, Geoff.

Prope Neapolim semel in collis Camaldulensis cacumine, mense Aprilis cepimus: frequentior in Abrutiis.

Variat: *a*, capitis et prothoracis dorso obscure fusco.
b, abdomine utrinque medio fusco.

Fam. IX.ª (1) TINGINI.

Corpus *depressum*. Ocelli *inconspicui*. Antennae *breves*, *articulo ultimo crassiori*; *rarius cylindraceae*. Rostrum *4-articulatum*, *rectum*, *sulco incumbens*. Pedes *breves*, *simplices: tarsi 3-articulati*, *unguiculis in illorum apicis medio inserits*, *basi membranâ nullâ instructis*.

Genus Dyctinota, *Curtis*.

Antennae breves, cylindraceae, validae, setis hirtae: articulo 1.° rotundato, 2.° cordiformi brevissimo, 3.° longo cylindrico, 4.° brevi subovato. *Rostrum* pedum posticorum basim attingens. *Canalis rostralis* marginibus in capite magis elevatis. *Prothorax* antice ampullâ parvâ, lateribus dilatatis. *Scutellum* sub prothorace absconditum. *Elytra* heterogena.

Observatio Antennarum formâ ad Arados magis quam ad Tinges veras accedunt.

---

(1) De *Cimicinis* et *Aradinis* quae septimam et octavam familiam constituunt, in altera Centuria.

1. (26) Dyctionota (1) marginata. (Wolff. *Icon. Tab.* XIII. *fig.* 126).

D. *capite spinâ utrinque ante oculos, aliâque obtusâ mediâ antea productâ; prothorace carinis tribus lamellosis longitudinalibus: nigra; prothoracis marginibus et carinis elytrisque albo-cinereis nigro reticulatis; rostro pedibusque fusco-ferrugineis.* — Long. lin. 1 ¼-1 ½: lat. lin. ½—¾.

Acanthia marginata, Wolff.
Piesma marginatum, Burm.
Tingis crassicornis, Fall.
Dyctionota crassicornis, Cur. Lap. Spin.

Prope Neapolim et in aliis regni regionibus invenitur: parum frequens.

Genus Tingis, Fab.

Antennae graciles, clavatae: articulo 1.° brevi subinflato, 2.° brevissimo subvalido, 3.° gracili longissimo, 4.° ad apicem inflato clavam minutam fingente. *Rostrum* pedum posticorum basim attingens. *Canalis rostralis* medio angustior, marginibus parum elevatis. *Prothorax* antice ampullâ magnâ, lateribus valde dilatatis. *Scutellum* sub prothorace absconditum. *Elytra* heterogena.

1. (27) Tingis pyri. (De Vil. *Ent. Lin. Tab.* III, *f.* 19).

T. *albida, fusco-reticulata; elytris basi internâ gibbis, maculis duabus nebulosis pallide-fuscis; abdomine pectoreque nigris.* — Long. lin. 1 2/5: lat. lin. 1.

Tingis pyri, Fab. (*Syst. Ryng.*), Latr. Lap. Burm. Spin.
Acanthia pyri, Fab. (*Ent. Syst.*).
Cimex pyri, Lin.
La punaise à fraise antique, Geof.

Frequens in regno, in pyro communi, cui detrimentum saepe affert, aliisque plantis.

---

(1) Errore in pagina praecedente *Dyctinota* pro *Dyctionota* impressum est.

Genus Monanthia, *Lep.* et *Serv.*

Antennae minus graciles, clavatae: articulo 1.° brevi inflato, 2.° brevissimo subvalido, 3.° longissimo graciliori, 4.° ad apicem inflato clavam minutam fingente. *Rostrum* pedum posticorum basim attingens. *Canalis rostralis* medio angustior, marginibus elevatis. *Prothorax* ampullà nullà, lateribus nihil vel parum dilatatis. *Scutellum* sub prothorace absconditum. *Elytra* heterogena.

1. (28) Monanthia humuli. (Wolff. *Icon. Tab.* XIII, *fig.* 124).

M. *prothorace lineis tribus elevatis, marginibus haud dilatatis subampullaceo-reticulatis: nigra; prothoracis margine antico et lateribus apiceque griseis; elytris griseis disco fusco-nebulosis, marginibus nigro-punctatis; antennarum articulo tertio, femorum apice, tibiis tarsisque fusco-ferrugineis.* — Long. lin. 1 ⅓: lat. ⅔. lin.

Tingis humuli, Fab.

Acanthia echii, Wolff.

Rara in regno occurrit.

Variat: Prothoracis apice nigro (ex Wolff).

2. (29) Monanthia quadrimaculata, *Fig.* 3. (Wolff. *Icon. Tab.* XIII, *fig.* 127).

M. *prothorace lineis tribus elevatis, marginibus sub-ampullaceo-reticulatis: fusco-cinnamomea; antennarum articulo ultimo, basi exceptâ, nigro; elytris maculis duabus marginalibus pallidis fusco-punctatis.* — Long. lin. 1 2/5: lat. ⅔ lin.

Acanthia quadrimaculata, Wolff.

Frequens prope Neapolim aliisque in regni regionibus: saepius in *Mespilo monogyna*.

Variat: prothoracis marginibus pallidioribus, et lineis elevatis fusco et pallido alternatim pictis.

Observatio. Descriptio Wolffii sat brevis, atque icon corporis formâ aliisque characteribus inexacta; quare et aliam accuratiorem exhibere curavimus.

Genus CATOPLATUS, *Spin.*

Antennae minus graciles, clavatae: articulis 1.° et 2.° brevibus validis, 3.° longo tenuiori, 4.° subovato clavam fingente. *Rostrum* pedum mediorum basim attingens. *Canalis rostralis* rostri longitudine, medio angustior, marginibus elevatis. *Metasternum* areâ quadrangulari, inter quatuor pedum posticorum basim, lateribus elevatis, medio pro rostri receptione haud sulcatâ. *Prothorax scutellum* et *elytra* ut in Monanthiis.

1. (30) Catoplatus cardui. (Wolff. *Icon. Tab.* V, *fig.* 42).

C. *prothorace lineis tribus elevatis, marginibus parum dilatatis: obscure fuscus; antennarum articulo ultimo nigro, tribus primis pedibusque sublestaceis; capite antice cinereo; prothorace elytrisque pallide cinereis nigro-punctatis; elytrorum marginibus maculis duabus majoribus, alterâ mediâ alterâ sub-apicali, nigris.* — Long. lin. 1 ¼-1 ⅓: lat. ⅓-½ lin.

Tingis cardui, Fab. (*Syst. Ryng.*), Latr.

Acanthia cardui, Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.

Monanthia cardui, Spin.

Cimex cardui, Lin.

Prope Neapolim et in aliis regni regionibus; non solum in cardui capitulis sed et in aliis etiam plantis.

Variat: a, prothoracis elytrorumque colore minus cinereo, subflavescente.

b, femoribus medio fuscis.

Observatio. Analogiâ forsan ductus claris. Spinolas peciem hanc ad genus Monanthia retulit; metasterni tamen structura prorsus eadem ac in genere Catoplatus ab ipso condito est, et Wolffius characterem hunc jam iis verbis notaverat: *annulus in pectore elevatus, pallescens, antice lineas duas emittens rostrum cingentes* (1). Si igitur genus *Catoplatus* retinendum, in eo *Tingis cardui* enumeranda.

---

(1) Wolff. l. c p. 45.

Genus Serenthia, *Spin.*

Antennae minus graciles: articulo 1.° valido crasso, 2.° breviori crasso, 3.° longo tenuiori apicem versus attenuato, 4.° ovato-elongato clavam minutam fingente. *Rostrum* pedum anteriorum basim attingens vel parum superans. *Canalis rostralis* caput ultra haud productus. *Mesosternum* et *metasternum* marginibus elevatis, canalem rostralem simulantibus. *Prothorax* ampullâ nullâ, marginibus haud dilatatis. *Scutellum* sub prothorace absconditum. *Elytra* homogena.

1. (31) Serenthia atricapilla. (*figura deest.*).

S. *nigra; antennis pedibusque testaceis; canalis rostralis marginibus elevatis albidis; elytris pallidis; prothorace pallido antice maculâ utrinque transversâ nigrâ.* — Long. lin. 1 1/3: lat 2/5 lin.

Serenthia atricapilla, Spin.

Prope lacum *Patria* : rarissima.

Observatio. Specimina sardoa, ex domini Spinola descriptione, lineam longitudine aequant, ac inde tertio nostris minora sunt.

2. (32) Serenthia laeta.

S. *nigra; antennarum articuli tertii apice et quarti basi pedibusque fusco-ferrugineis; prothoracis margine antico et apice, elytris et canalis rostralis marginibus elevatis albido-flavescentibus.* — Long. lin. 1: lat. 1/3 lin.

Serenthia laeta, Spin. Hahn.

Tingis laeta, Fall.

Piesma laetum, Burm.

Piesma tricolor, Lap.

In insula Aenaria, in juncis prope lacum vulgo dictum *del Bagno*: parum frequens.

Variat: antennarum articulis tribus primis obscure fusco-ferrugineis.

Observatio. Clar. Laporte apicem prothoracis flavum pro scutello sumpsit, atque ex hoc speciem hanc enumeravit in genere *Piesma*.

Genus Piesma, *Lep.* et *Serv.*

Antennae brevissimae, clavatae: articulis 1.° et 2.° brevibus validis, 3.° longo tenuiori filiformi, 4.° tertio parum breviori ovato clavam fingente. *Caput* lobis lateralibus antice in dentem valde productis. *Rostrum* cum canali caput ultra parum productum. *Prothorax* ampullà nullà, antice marginibus parum dilatatis. *Scutellum* minutum, externe conspicuum. *Elytra* heterogena.

1. (33) Piesma capitatum. (Wolff, *Icon. Tab.* XIII, *fig.* 125).

P. *spinâ utrinque acutâ ante oculos*; *prothorace costulis duabus anticis: griseo-cinereum*; *prothorace postice et capite fuscis*; *scutello minuto nigro*; *elytris basi albidis*; *antennis, rostro pedibusque testaceis.* — Long. lin. 1 ¼: lat. ½ lin.

Tingis capitata, Latr. Fab. Panz.

Acanthia capitata, Wolff.

Aspidotoma capitata, Cur.

Zosmerus capitatus, Burm.

Prope lacum *Patria:* rara.

Variat: prothorace vel totim fusco vel totim griseo-cinereo.

Familia X.ª COREINI.

Corpus *oblongum*, *rarius lineare*. Antennae *in capitis marginibus latero-superioribus insertae*, *4-articulatae*: *articulo ultimo ovali*, *inflato*. Rostrum *4-articulatum*. Ocelli *conspicui*. Elytrorum *membrana nervis pluribus saepius bifurcatis notata*. Tarsi *3-articulati*, *unguiculis membranâ laterali basi instructis*. Scutellum *parvum*.

Genus Berytus, *Fab.*

Corpus lineare. *Antennae* graciles, fere longissimae, post

primum articulum fractae: articulo 1.° valde elongato caeteris longiori apice clavato, ultimo brevi ovato. *Rostrum* breve. *Pedes* gracillimi, elongati, femoribus apice clavatis.

Observatio. Proportiones secundi et tertii antennarum articulorum secundum species variant, quare de illis nullam in generis characteribus mentionem fecimus. Mirum tamen videtur quomodo dom. Burmeister articulum secundum tertio duplo longiorem asserat, cum nullâ in specie hoc observetur. Quod si etiam pro articulo secundo primum verum, sicut et alii scriptores, cepisset, basilare quasi primum considerando (quod sane absurdum, cum in familiae characteribus antennas 4-articulatas dixit, atque hoc in casu 5-articulatae essent), ne omnibus quidem in speciebus sequenti ille duplo longior est.

Ex capite, scutello et metathorace characteres desumi possunt, quibus hujus generis species facile in duas divisiones distribuantur.

Divisio Prima.

Frons antice in laminam verticalem producta.

Scutellum muticum.

Metathoracis latera inermia.

1. (34) Berytus tipularius. (Wolff, *Icon. Tab.* XX, *fig.* 195).

B. *linearis; antennis pedibusque longissimis; laminâ frontali supra complanatâ; antennarum articulis secundo et tertio filiformibus, secundo sequenti dimidio breviori; elytrorum corio externe apicem attingente: grisea, antennarum articulo ultimo tarsisque fuscis.* — Long. lin. 4 ½: lat. ½. lin.

Berytus tipularius, Fab. (*Syst. Ryng.*), Wolff. Burm.

Neides tipularia, Latr. Lap. Spin.

Gerris tipularius, Fab. (*Ent. Syst.*), Fall.

Cimex tipularius, Lin.

Prope Neapolim: rara.

2. (35) Berytus clavipes. (Scell. *Cim. Helv. Tab.* IV, *fig.* 1.)

B. *elongato-lanceolatus; antennis pedibusque minus longis; antennarum articulo secundo minuto sequenti crassiore et quarto breviore;*

elytrorum corio apicem haud attingente : grisea ; antennarum articulo quarto et primi et tertii apice, femorumque posticorum clavâ fuscis; elytrorum corii apice puncto nigro ; membranâ fusco-maculatâ. — Long. lin. 3: lat. ⅓ lin.

Berytus clavipes, Fab.

Neides clavipes, Latr. Spin.

In toto regno : haud rara.

Variat: a, femorum omnium clavâ fuscâ.

b, femorum omnium et antennarum articuli primi clavis corpori concoloribus.

Observatio. Antennarum articuli ultimi figura a Schellembergio (l. c. *b.*) exhibita, pessima ac nullimode naturalis.

Divisio Secunda.

Frons in laminam haud producta.

Scutellum apice spinâ terminatum.

Metathoracis latera processu erecto spiniformi armata.

Observatio. De hoc metathoracis processu, qui supra et ante pedum posticorum originem oriens perpendiculariter elevatur, mentionem nullam ab auctoribus factam invenimus: atque ut melius innotescat illum delineare curavimus. (Vide fig. 4, *B*). Characteres omnes qui ad hanc generis divisionem distinguendam concurrunt, quibus et diversus habitus associatur, ad novum genus (*Metacanthus*) condendum sufficere poterint. Versatiores tamen Entomologos judicium in hoc afferre relinquimus.

3. (36) Berytus meridionalis , *nob. Fig.* 4.

B. *linearis ; antennis pedibusque longissimis, gracillimis ; antennarum articulis secundo et tertio subaequalibus; elytrorum corio apicem haud attingente: flavescens; prothorace aureo-micante; antennarum articulo ultimo nigro , apice albo ; capitis lineis duabus utroque latere et tarsorum apice nigris; antennis pedibusque fusco annulatis.* — Long. lin. 3: lat. 2/5 lin.

Antennae corporis longitudine vel parum longiores , gracillimae ; articulo primo longo apice tenuiter clavato , secundo et tertio filiformibus , subaequalibus , unâ primo parum longio-

ribus, quarto crasso fusiformi: flavescentes, articulo primo fusco annulato, clavâ minus pallidâ, articulo ultimo nigro, apice albo.

Caput breve, subleve: flavescens, lineis duabus longitudinalibus utrinque, alterâ laterali alterâ inferiori, nigris. *Oculi* nigri. *Ocelli* rubentes.

Rostrum gracile, pedum posticorum originem attingens: flavescens, lineâ longitudinali inferiori nigrâ.

Prothorax supra crebre punctatus, subgranulatus; antice depressus, tuberculis duobus minutis leviusculis; postice elevatus, latior, subconvexus, lineâ dorsali tenui elevatâ; lateribus supra marginatis, lineam elevatam utrinque fingentibus; ad angulos posticos subtuberculato-elevatus: flavescens, supra aureo-micans, lineâ dorsali marginibusque lateralibus pallidioribus; antice utroque latere lineâ capitis nigrâ continuatâ. *Sternum* concolor.

Scutellum parvum, triangulare, postice spinâ brevi acutâ parum elevatâ terminatum.

Elytra corio interne brevi, externe angustissime producto, apicem tamen haud attingente, pallide flavo: membranâ magnâ, hyalinâ, nebulis marginalibus inter nervos fuscescentibus.

Alae hyalinae, iridizantes.

Metathoracis processus perpendiculariter elevatus, scutelli libellam attitudine paulo superans, apice angulatim retro incurvatus.

Abdomen supra planum, marginibus elevatis; subtus convexum: flavescens, dorso pallide rufescente.

Pedes longissimi praesertim postici, gracillimi, femoribus apice clavatis: antennis concolores, fusco annullati, femorum clavâ itidem minus pallidâ; tibiarum posticarum tarsorumque apicibus nigris.

Semel in regno unicum specimen (feminam) invenimus.

Observatio. *Neidi Schellembergii*, De Crist. a Spinola descriptae (op. cit.) affinis, a qua staturâ multo minori (1) et antennarum articuli primi femorumque clavis non nigris differt: ex eo saltem quod ex citata descriptione desumi potest, cum species in natura nobis non innotescat.

Genus Corizus, *Fall.*

Antennae longitudine mediocres: articulo 1.° capite multo breviori inflato, 2.° et 3.° filiformibus tenuibus subaequalibus, 4.° praecedentis longitudine vel vix longiore, parum inflato. *Rostrum* gracile, pedes posticos attingens. *Pedes* mediocres, simplices, femoribus posticis muticis.

1. (37) Corizus errans.

C. *fusco-ferrugineus*, *prothoracis abdominisque marginibus*, *scutelli lineâ dorsali*, *corpore subtus pedibusque flavis; antennis nigris*, *articulis secundo et tertio ferrugineis; abdominis dorso nigro*, *apice lineis duabus flavis; corpore subtus punctis nigris*. — Long. lin. 4 ¾-5: lat. lin. 2.

Corizus errans, Fall. Spin.

Rhopalus errans, Hahn.

Coreus errans, Fab. Latr.

Prope Neapolim et in aliis regni regionibus: parum frequens.

Variat: *a*, antennis ferrugineis, articulo ultimo medio nigro.

b, — nigris, articulis primo et secundo et quarti apice ferrugineis.

c, — —— articulo tertio tantum ferrugineo.

d, femoribus posticis apice intus nigris.

2. (38) Corizus hyosciami. (Hahn, *Wanz. Ins.* I, *Tab.* III, *fig.* 10).

C. *ruber; antennis*, *capite postice*, *prothorace antice maculisque duabus posticis*, *scutelli basi*, *elytrorum punctis suturalibus maculâque mediâ magnâ*, *ano supra*, *maculis ventralibus pedibusque nigris; elytrorum membranâ fuscâ immaculatâ*. — Long. lin. 4-4 ½: lat. lin. 1 ½-1 ⅔.

(1) Neides Schellembergii, ex Spinolae descriptione, lineas quinque longitudine aequat.

Corizus hyosciami, Hahn. Burm.
Rhopalus hyosciami, Spin.
Lygaeus hyosciami, Fab. Latr.
Cimex hyosciami, Lin.
La punaise rouge à croix de chevalier, Geoff.
Frequens in toto regno.

3. (39) Corizus crassicornis. (Wolff, *Icon. Tab.* XIV, *fig.* 140).

C. *griseo-flavus; capite prothorace et scutello flavo-rufescentibus, fortiter nigro-impresso-punctatis, lineis dorsalibus impunctatis pallidis; abdominis dorso nigro, punctis tribus quadratis in triangulum dispositis anoque flavis, marginibus pedibusque flavis fusco maculatis; scutello ante apicem coarctato, apice obtuso subcochleato.* — Long. lin. 3 ⅔: lat. lin. 1 ⅓.

Coryzus crassicornis, Burm.
Rhopalus crassicornis, Spin.
Lygaeus crassicornis, Wolff.
Coreus crassicornis, Fab. Latr.
Cimex crassicornis, Lin.
Frequens in toto regno.

Variat: *a*, capite prothorace et scutello pallidioribus.
b, elytrorum corii nervis apice fuscis.
c, femoribus posticis apice intus nigris.
d, colore toto rufo-ferrugineo immaculato, abdominis dorso tantum nigro.

Observatio. *Coreus Panzeri*, Duf. (1) ad hanc forte speciem spectat.

4. (40) Corizus capitatus. (Wolff, *Icon. Tab.* VIII, *fig.* 72).

C. *rufo-ferrugineus*; *elytrorum corio albo apice ferrugineo, nervis nigro punctatis; abdominis dorso nigro, ano maculis tribus quadratis in triangulum dispositis maculisque marginalibus flavis; pedibus fusco maculatis*; *scutello apice acuto pallido.* — Long. lin. 3 ⅔: lat. lin. 1 ⅓.

Coryzus capitatus, Burm.
Rhopalus capitatus, Spin.

(1) Recher. sur les Hèmipt. p. 38.

Lygaeus capitatus, Wolff.
Coreus capitatus, Fab. Latr.
Cimex subrufus, Lin.
Cimex nervosus, Scop. (*Ent. Carn.*)
Frequens cum praecedente in toto regno.
Variat: *a*, colore corporis pallidiore, quandoque flavicante.
b, elytrorum corio albo hyalino, nervis immaculatis.
c, prothorace lineis duabus anticis transversis punctisque magnis dorsalibus nigris (rarior).
d, abdominis marginibus supra immaculatis.

Observatio. Hujus speciei varietates et praecedentis facile quoad colores confunduntur, nullus enim inter eas confinis est: scutello tamen in illa ante apicem parum coarctato apice obtuso rotundato, in hac acuto, facile haec duo species distingui possunt.

Genus Pseudophlaeus, *Burm.*

Antennae breves: articulo 1.° valde inflato basi abrupte attenuato, capite breviori, 2.° brevissimo minuto, 3.° longo tenui apice crassiore, 4.° inflato crasso. *Rostrum* pedes medios attingens. *Pedes* mediocres simplices, femoribus posticis apice minute denticulatis.

1. (41) Pseudophlaeus Fallenii. (Hahn, *Wanz. Ins. Tab.* LXIV, *fig.* 192).

P. *fusco-brunneus; abdominis marginibus flavo-maculatis; tibiis annulis duobus femorumque basi flavis; ventre pallido-variegato; antennarum articulo tertio apice nigro, ultimo glandiformi cinereo basi nigro: capite cornu utrinque ante oculos; prothorace supra tuberculato, marginibus lateralibus antice dentatis postice elevatis subdilatatis; femoribus tuberculis minutis asperis, posticis dente majori apice armatis.* — Lon. lin. 3-3 ¾: lat. lin. 1 ¼-1 ½.

Pseudophlaeus Fallenii, Burm.
Arenocoris Fallenii, Hahn.
Atractus Fallenii, Spin.
Coreus Fallenii, Schil.

Prope Neapolim (*Granatello*) : parum frequens.

Nota. Antennarum articuli formâ et longitudine in utroque sexu prorsus similes, vel articuli secundus et tertius vix in mare breviores.

Ad hoc quoque genus Atractus (*seu* Arenocoris) Genei, *Spin.* (1) *spectat, in Sardinia primum a Prof. Genè, dein a nobis prope Neapolim lectus. In alterâ tamen Centuria enumerabitur.*

Genus Merocoris, *Hahn.*

Antennae crassae, validae: articulo 1.° capitis longitudine subcompresso, 2.° et 3.° subaequalibus subcompressis, 4.° ovato apice subacuto. *Rostrum* pedes medios attingens. *Pedes* mediocres, simplices, femoribus posticis apice spinis denticulisque armatis.

1. (42) Merocoris denticulatus. (Wolff, *Icon. Tab.* VII, *fig.* 68).

M. *supra fusco-rufescens, subtus flavescens, villosus hispidusque; antennarum articulo ultimo nigro: prothoraee postice parum elevato, scabro, marginibus lateralibus et posticis usque ad scutellum crebre denticulatis, spinâ minutâ supra illius angulos; elytris seabris, marginibus basi denticulato-serratis.* — Long. lin. 3 ½-4: lat. lin. 1 ½.

Merocoris denticulatus, Hahn. Spin.

Cimex denticulatus, Scop.

Coreus denticulatus, Wolff.

Coreus hirticornis, Panz. Latr. Lap. (*excl. syn.*), Duf. (*excl. syn.*)

Coreus pilicornis, Burm.

In toto regno : haud rarus.

Variat: colore griseo-cinereo.

Observatio. Coreum hirticornem Fabricii inter synonima haud recensere putavimus cum clar. Burmeister aliam esse speciem ab hac diversam putet; sicut et Hahn suspicaverat, ex eo quod figura Coquebertii a Fabricio citata cum hac minime convenit. Quaestio adhuc sub judice pendet, nec

(1) Essai, p. 212.

nos aliquid pro vel contra adjicere audemus. Nulla tamen ratio qua nomen *denticulatus* a Scopolio speciei impositum et ab auctoribus receptum, in aliud novum, sicut a Burmeisterio, permutari debeat.

2. (43) Merocoris Spinolae, *nob. Fig.* 5.

M. *supra fusco-rufescens, subtus flavescens, villosus hispidusque: corpore magis angustato; oris orificii lateribus in processum spiniformem rectum antice ultra capitis marginem anticum productis; prothorace postice parum elevato, scabro, marginibus lateralibus et posticis usque ad scutellum crebre denticulatis, spinâ minutâ supra illius angulos; elytris scabris.* ♂ ♀. — Long. lin. 3 2/3: lat. lin. 1 ⅓.

Praecedenti maxime affinis, a quo corpore magis angustato et capitis structurâ praesertim differt. In hoc scilicet oris orificii parietes laterales elevatae, rostri basim cingentes, antice in processum spiniformem ultra capitis marginem anticum recte producuntur, quemadmodum in figura 5 *a a* observantur.

Prope Neapolim: praecedente minus frequens.

Observatio. Domino Spinola speciem hanc dicamus, utqui primus characterem capitis notavit Ille unicam feminam ex Sicilia habuit, nos utrumque sexum prope Neapolim invenimus.

Genus Syromastes, *Lap.*

Antennae elongatae: articulo 1.° capite longiori, valido, subtriquedro, saepius subarcuato, 2.° et 3.° tenuioribus filiformibus subaequalibus, ultimo brevi ovato. *Caput* ante oculos mutico. *Rostrum* pedes medios attingens. *Pedes* subvalidi, simplices, femoribus muticis.

1. (44) Syromastes marginatus. (Wolff, *Icon. Tab.* III, *fig.* 20).

S. *rufo-fuscus; antennarum articulis secundo et tertio rufo-ferrugineis; abdominis dorso medio rufo basi nigro: punctato-scabriusculus; capite inter antennas bicuspidato; prothoracis lateribus dilatato-subreflexis, angulis posticis obtuse spinosis; femoribus denticulato-scabrosis.* — Long. lin. 6: lat. lin. 3 ⅔.

Syromastes marginatus, Lap. Spin.
Coreus marginatus, Fab. Wolff. Fall. Burm.
Cimex marginatus, Lin.
La punaise à bec, Geof.
Frequens in toto regno, saepius in Rubo fruticoso.

Genus Coreus, *Fab.*

Antennae elongatae: articulo 1.° capite longiori, valido, triquetro, subarcuato, 2.° et 3.° tenuioribus filiformibus subaequalibus, 4.° ovato brevi. *Caput* ante oculos spinâ utrinque armatum. *Rostrum* pedes medios attingens. *Pedes* mediocres, simplices, femoribus muticis.

1. (45) Coreus spiniger. (Cyril. *Ent. Neap. Sp. Tab.* VIII, *fig.* 5).

C. *griseo-flavescens, supra fusco-variegatus; antennarum articulis secundo et tertio rufo-ferrugineis, quarto fusco: capite supra scabro, utrinque bispinoso; prothorace scabro, antice valde declivi, marginibus denticulato-serratis, angulis posticis profunde emarginatis, postice in dentem magnum obtusum utrinque producto.* — Long. lin. 4 ⅔-5 ⅔: lat. lin. 2-2 1/3.

Coreus spiniger, Fab. Latr. Spin.
Syromastes spiniger, Lap.
Cimex spiniger, Cyril.

In toto regno: haud rarus. Prope Neapolim staturam minorem, in Calabriis, Abrutiis aliisque regni regionibus majorem acquirit.

Genus Verlusia, *Spin.*

Corpus depressum. *Antennae* elongatae: articulo 1.° capite longiori triquetro subarcuato, 2.° et 3.° tenuioribus filiformibus subaequalibus; quarto brevi ovato. *Caput* muticum, lobo medio in laminam verticalem antice infra antennas produ-

cto. *Rostrum* pedes medios vel etiam posticos attingens. *Pedes* mediocres, subgraciles, simplices, mutici.

1. (46) Verlusia quadrata. (Wolff, *Icon. Tab.* VII, *fig.* 67).

V. *supra griseo-testacea, subtus cum pedibus pallide flevescens; antennarum articulis secundo et tertio rufo-ferrugineis, quarto fusco; prothoracis margine tenui pallide flavo, subserrulato, angulis posticis subacutis; abdomine rhomboideo, ano obtuso ♂, sexdentato ♀.* — Long. lin. 5: lat. lin. 2 ¾-3.

Verlusia quadrata, Spin.

Syromastes quadratus, Lap. Burm.

Coreus quadratus, Fab. (♂), Wolff, Fall. Duf.

Coreus rhombeus, Fab. (♀).

Cimex quadratus, Lin.

Frequens in toto regno.

2. (47) Verlusia sulcicornis. *Fig.* 6.

V. *supra rufescens, subtus cum pedibus flavescens; abdominis dorso rufo, basi nigro; antennarum articulo secundo subcompresso, longitudinaliter sulcato; prothoracis angulis posticis subacutis; abdomine ovato.* — Long. lin. 4 ½-5 ½: lat. lin. 2-2 ¼.

Coreus sulcicornis, Fab. Coqueb.

Verlusia rotundiventris, Spin.

Prope Neapolim, aliisque in regni regionibus: haud rara.

Variat: abdominis dorso maculis flavis duplici serie (duo in quovis segmento).

Genus Chaerosoma, *Curt.*

Corpus sublineare. *Antennae* mediocres vel longae: articulo 1.° crassiori capitis longitudine vel longiori, 2.° et 3.° filiformibus vel subconicis, 4.° subovato. *Caput* muticum. *Rostrum* pedes medios attingens. *Elytra* abdomine breviora. *Pedes* mediocres vel elongati, simplices, mutici.

1. (48) Chaerosoma arundinis. (Curt. *Brit. Ent.* VII. *f.* 297).

C. *pallide-flava; antennis subrufescentibus; abdomine supra vittis duabus nigris.* — Long. lin. 6 ½-7: lat. lin. ¾-1.

Chaerosoma arundinis, Curt. Spin.

Rara in aliquibus regni regionibus, in Arundine phragmitis.

2. (49) Chaerosoma miriformis. (Hahn, *Wanz. Ins. Tab.* XIII, *f.* 46 *et* 47).

C. *subvillosus, flavo-virescens; antennis subtestaceis, articulo ultimo fusco; capite prothorace scutello elytrisque roseo lineolatis; abdominis dorso medio obscuro; elytris saepius abbreviatis et membranâ carentibus.* — Long. lin. 3 ⅓: lat. ⅓ lin.

Chaerosoma miriformis, Spin.

Myrmus miriformis, Hahn.

Rhopalus miriformis, Schill.

Miris abbreviatus, Wolff. (*Tab.* XI, *fig.* 110, *mala et forsan pupa*).

Rarissimus in regno.

Familia XI.ª ANISOSCELINI.

Corpus *oblongum vel etiam lineare*. Antennae *in capitis marginibus latero-superioribus insertae*, *4-articulatae, articulo ultimo elongato filiformi tertio longiori*. Ocelli *conspicui*. Rostrum *4-articulatum*. Scutellum *parvum*. Elytrorum *membrana nervis pluribus saepe bifurcatis notata*. Tarsi *3-articulati*; *unguiculis membranâ laterali basi instructis*.

Genus Alydus, *Fab.*

Corpus elongatum, abdomine elytrorum latitudine. *Caput* triangulare, postice oculis prominulis prothorace latius. *Antennae* sat longae articulo ultimo longiori plus minusve arcuato. *Pedes* subvalidi; femoribus posticis elongatis incrassatis intus dentatis vel spinosis.

1. (50) Alydus lateralis. (Duf, *Hemipt. Tab.* II, *f.* 16).

A. *subvillosus, supra fusco-aeneus; prothoracis elytrorumque margine tenui, puncto minuto calloso in prothoracis margine postico,*

scutelli apice extimo, abdominisque maculis lateralibus albidis; antennarum articulis intermediis nigris medio rufis; abdominis dorso sanguineo; tibiis posticis arcuatis. — Long. lin. 5-6: lat. lin. 1 ¼.

Alydus lateralis, Germ. Spin.

Alydus geranii, Duf. Burm.

In toto regno: haud rarus.

Variat: antennarum articulis intermediis rufis apice tantum nigris.

2. (51) Alydus calcaratus.

A. *villosus, nigro-aeneus; prothorace postice elytrisque fuscis; antennarum articulis tribus primis tibiisque pallide-rufis apicibus nigris; abdominis dorso medio rufo; tibiis posticis rectis.* — Long. lin. 5: lat. lin. 1.

Alydus calcaratus, Fab. Hahn, Burm. De Vil. (*Ent. Lin. Tab.* III, *fig.* 25).

Rarus in Aprutiis.

Genus Micrelytra, *Lap.*

Corpus lineare, abdomine elytris latiore. *Antennae* sat longae. *Caput* ovulare, prothoracis latitudine, oculis parum prominulis. *Elytra* abbreviata, membranâ destituta. *Alae* nullae. *Pedes* graciles, longiusculi, inermes.

1. (52) Micrelytra fossularum. (Duf. *Hem. Tab.* II, *f.* 18).

M. *glabra, nigro-aenea; prothoracis elytorum abdominisque lateribus albidis; tibiis antennarumque annulis duobus pallidis; antennarum articulo ultimo fusco.* — Long. lin. 4-5 ½: lat. ⅔-¾ lin.

Hydrometra fossularum, Fab. Ros.

Actorus fossularum, Burm.

Alydus apterus, Duf.

Micrelytra aptera, Lap. Spin.

Prope Neapolim et in aliis regni regionibus: saepius in planitiebus in humentibus, rarius in collibus.

Genus Stenocephalus, *Latr.*

Corpus oblongum, abdomine elytris latiore. *Antennae* mediocres: articulo 1.° crasso inflato. *Caput* ovatum, acuminatum, oculis haud prominulis. *Elytra* et *alae* completa. *Pedes* longiusculi, simplices, inermes.

1. (53) Stenocephalus nugax. (Wolff, *Icon. Tab.* III, *fig.* 30).

S. *obscure-aeneus; scutelli apice extimo, abdominis maculis lateralibus, antennarum pedumque annulis flavis.* — Long. lin. 5-6 ½: lat 1 ¾-2.

Stenocephalus nugax, Latr. Lap. Burm. Spin.
Coreus nugax, Fab. (*Syst. Ryng.*), Duf.
Lygaeus nugax, Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.
Cimex nugax, Lin.
Cimex agilis, Schrank, Scop.
Cimex Geoffroy, Pet. (*Sp. Ins. Cal.* n. 223).
Cimex 5-punctatus, Goëtze.
La punaise brune à antennes et pattes panachés, Geof.
Haud rarus in regno.

Familia XII.ª LYGAEINI.

Corpus *oblongum.* Antennae *in capitis marginibus latero-inferioribus insertae, 4-articulatae, filiformes vel articulo ultimo crassiori.* Rostrum *4-articulatum.* Scutellum *parvum.* Elytrorum *membrana nervis paucis, saepius quinque, notata.* Tarsi *3-articulati; unguiculis basi membranâ instructis.*

Observatio. Ex ocellorum praesentiâ vel absentiâ in duas sectiones hujus familiae Heteroptera dividuntur, quarum prima cum Coreinis et Anisoscelinis qui ocellos habent, altera cum Capsinis qui illis carent se ligat. Claris. Spinola hanc secundam sectionem quae ocellis carentes species complectitur, Laportii exemplo, in Capsinorum familia collocavit: habi-

tus tamen ac antennarum forma cum Lygaeinis naturalius, sicut et Burmeisterius fecit, eos conjungere consiliant. Hoc igitur systema sequamur.

A. Ocelli conspicui.

Genus Ophthalmicus, *Hahn.*

Corpus breve, latum, rectangulare. *Caput* transversum, postice oculis prominulis prothorace latius. *Antennae* breves, basi valde approximatae, filiformes: articulo 1.° brevi, 2.° elongato, 3.° et 4.° subaequalibus, 4.° fusiformi. *Rostrum* pedes posticos attingens. *Elytrorum membrana* nervis quinque longitudinalibus notata, nonnumquam abbreviata vel nulla. *Pedes* mediocres, simplices.

a) alae et elytrorum membrana nullae vel brevissimae.

1. (54) Ophthalmicus grylloides. (Wolff, *Icon.. Tab.* V, *f.* 41).
O. elytris postice rotundatis membranâ nullâ; prothorace scutello elytrisque punctis magnis sparsis: niger; prothorace, angulis anticis exceptis, elytrisque undique albido marginatis; ore, rostro, scutelli apice extimo, abdominis margine tenuissimo pedibusque pallido-testaceis; antennis oculisque fuscis. — Long. lin. 1 ½: lat. lin. 1.
Acanthia grylloides, Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.
Salda grylloides, Fab. (*Syst. Ryng.*).
Geocoris grylloides, Fall.
Cimex grylloides, Lin.
In Aprutiis, in montium cacumine: sat rarus.
Observatio. Figura ab Hahnio *Ophth. grylloides* nomine exhibita (Wanz. Ins. I, Tab. 14, fig. 48) si exacta est atque naturae respondet, ad aliam speciem vel ad hujus varietatem distinctam pertinet: quare inter synonima haud censere putavimus.

Specimina nostra cum Wolffii figura et descriptione optime conveniunt; nisi quod femora medio non nigra, et abdominis margo tenuissimus albidus.

b) alae et elytrorum membrana completae.

2. (55) Ophthalmicus erythrocephalus.

O. *prothorace, scutello elytrisque punctis crebris minutis impressis: niger nitidus; capite, rostro pedibusque rufescentibus; antennis testaceis, articulis secundo et tertio basi et quarti apice fuscis; elytrorum membranâ albo-hyalinâ.* — Long. lin. 1 ⅔: lat. lin. 1.

Ophthalmicus erythrocephalus, Hahn.

Salda erythrocephala, Lep. et Serv. (*Encycl.*), Lap.

Rarissimus in Aprutiis.

Genus Heterogaster, *Schil.*

Corpus oblongum, subrectangulare. *Caput* saepius transversum oculis prominulis. *Antennae* breves, filiformes: articulo 1.° breviori, reliquis subaequalibus. *Rostrum* pedes medios vel posticos attingens. *Elytrorum membrana* nervis longitudinalibus a transversis conjunctis notata. *Pedes* mediocres, simplices: medii basi posticis valde approximati.

1. (56) Heterogaster urticae. (Hahn, *Wanz. Ins.* I, *Tab.* 11, *fig.* 43).

A. *aeneus, subvillosus; antennarum articulis tribus ultimis pallide-fuscis; prothorace postice brunneo-flavo-maculato; elytrorum corio griseo, maculis punctisque aeneis; membranâ albo-hyalinâ puncto et nebulis duabus infuscatis; pedibus pallide-flavis aeneo maculatis annulatisque.* — Long. lin. 2 ⅓-3: lat. 2/3-3/4 lin.

Heterogaster urticae, Hahn, Burm.

Lygaeus urticae, Fab. Fall. Schil.

Frequens prope Neapolim, non solum in Urtica dioica quam tamen praediligit, sed et in aliis etiam plantis.

Nota. Femina staturâ majori et maculâ magnâ oblongâ ventrali flavo-pallidâ a mare differt.

Genus Lygaeus, *Fab.*

Corpus oblongum, subovatum. *Caput* triangulare, oculis haud prominulis. *Antennae* filiformes: articulo 1.° brevi crassio-

ri, 2.° et 3.° tenuioribus subaequalibus, 4.° subovato. *Rostrum* pedes posticos saepius attingens. *Elytrorum membrana* nervis, saepius qninque, longitudinalibus quorum duobus vel tribus externis a transversis non conjuncis notata. *Pedes* longiusculi, simplices.

1. (57) Lygaeus militaris. (Wolff, *Icon. Tab.* III, *fig.* 25, *mala*).

L. *rufus*; *antennis*, *rostro*, *capite subtus et supra pone oculos*, *prothoracis vittis duabus intus dentatis*, *scutello*, *elytrorum puncto ad scutelli apicem et maculâ transversâ mediâ*, *corporis segmentorum marginibus pedibusque nigris; elytrorum membranâ exalbidâ*, *fasciâ baseos nigrâ*, *punctoque posteriori et limbo lacteis; prothoracis dorso maculâ geminâ posticâ luteo-flavâ*. Long. lin. 6-7 ⅓: lat. lin. 2 ¼.

Lygaeus militaris, Fab. Ros. Lap. Spin.

Cimex militaris, Lin.

Lygaeus pandurus, De Vill. Scop.

Lygaeus civilis, Wolff.

Lygaeus lagenifer, Duf. (*Rech. p.* 45).

Frequens in toto regno.

Variat: elytrorum membranâ fuscâ maculis et fasciâ descriptis.

2. (58) Lygaeus equestris. (Wolff, *Icon. Tab.* III, *fig.* 24).

L. *rufus*; *antennis*, *rostro*, *capite subtus et supra pone oculos*, *prothorace antice et lunulis duabus transversis posticis*, *elytrorum puncto ad scutelli apicem maculâque transversâ mediâ*, *pectore*, *maculis ventralibus pedibusque nigris; elytrorum membranâ nigrâ*, *maculâ basilari*, *puncto medio limboque albis*. — Long. lin. 4-6 lat. lin. 1 ⅔-2 ⅓.

Lygaeus equestris, Fab. Wolff, Fall. Hahn, Lap. Spin.

Cimex equestris, Lin.

Cimex speciosus, Scop.

La punaise rouge à bandes noires et taches blanches, Geof.

Frequens in Aprutiis et alibi in Asclepiade vincetoxico; prope Neapolim sat rarus.

3. (59) Lygaeus saxatilis. (Wolff, *Icon. Tab.* III, *fig.* 26).

L. *niger*; *capitis linea dorsali*, *prothoracis marginibus lateralibus et lineâ mediâ dorsali elytrorumque maculis tribus rufis; pectore abdomineque rufis*, *segmentorum marginibus nigris*. — Long. lin. 5: lat. lin. 2.

Lygaeus saxatilis, Fab. Wolff, Burm. Spin.

Cimex saxatilis, Lin.

La punaise rouge à damier, Geof.

Haud rarus in regni montibus, nec non in Apuliae planitiebus.

Variat: elytrorum maculis flavo-croceis fusco punctatis et maculatis.

4. (60) Lygaeus familiaris. *(figura deest?).*

L. *niger; prothoracis marginibus antico et lateralibus lineâque dorsali mediâ rufis; elytrorum corio rufo suturâ scutellari et maculâ magnâ mediâ nigris, membranâ nigrâ puncto baseos limboque tenui albo; abdomine rufo dorsi medio maculisque ventralibus nigris.* — Long. lin. 4 ½-5: lat. 1 ½-2.

Lygaeus familiaris, Fab. Latr. Lap.

In Aprutiis, rarus; rarissimus et apud Neapolim in colle Camaldulensi, ubi et staturam majorem acquirit.

5. (61) Lygaeus punctato-guttatus. *(figura deest?).*

L. *niger; prothorace rufo maculis duabus posticis quadratis nigris; elytrorum corio rufo puncto medio nigro, membranâ nigrâ puncto apiceque albis; abdomine nigro, fascia pone anum rufâ; pedibus nigris, tibiis tarsisque fuscis.* — Long. lin. 2 ½: lat. ½ lin.

Lygaeus punctato-guttatus, Fab. Burm.

Cimex punctato-guttatus, Ros.

Rarus prope Neapolim, in Salento et alibi.

Variat: *a*, abdomine rufo, ano nigro.

b, tibiis tarsisque nigris.

Genus Aphanus, *Lap.*

Corpus ovato-oblongum. *Caput* triangulare vel subovatum, oculis minime vel parum prominulis. *Antennae* mediocres vel longae, filiformes: articulo 1.° brevi, 2.° elongato, 3.° et 4.° subaequalibus. *Rostrum* pedes posticos attingens vel etiam excedens. *Elytrorum membrana* nervis, saepius quinque, longitudinalibus et nullo transversali notata. *Pedes* mediocres, femoribus anticis saepius crassioribus nonnumquam intus dentatis.

a) caput subtus canali rostrali nullo.

1. (62) Aphanus echii. (Wolff, *Icon. Tab.* XIX, *f.* 192).

A. *niger, opacus, immaculatus; femoribus anticis incrassatis intus denticulato-serratis, dente ante apicem majori; tibiis quatuor posticis spinosis.* — Long. lin. 4: lat. lin. 1 ¼.

Lygaeus echii, Fab. Panz.

Pachymerus echii, Hahn.

Microtoma echii, Lap. (*Essai p.* 33).

Polyacanthus echii, ejus. (*l. c. p.* 84).

Lygaeus aterrimus, Fab. Wolff.

Cimex carbonarius, Ros.

Prope Neapolim, parum frequens: saepius in arenosis (*Granatello*).

2. (63) Aphanus Rolandri. (Wolff, *Icon. Tab.* XIX, *fig.* 193).

A. *niger, subnitidus, elytrorum membranâ maculâ rhombeâ baseos croceâ; femoribus anticis parum incrassatis, dente minuto ante apicem; tibiis quatuos posticis spinulosis.* — Long. lin. 3-3 ¼: lat. lin. 1-1 ¼.

Aphanus Rolandi, Lap. (escl. synon.).

Lygaeus Rolandii, Fab.

Lygaeus Rolandri, Wolff.

Cimex Rolandri, Lin.

La punaise couleur de suie à ailes jaunes, Geof.

Haud rarus prope Neapolim at alibi: frequentior hyeme sub arborum corticibus.

3. (64) Aphanus pini. (Wolff, *Icon. Tab.* VIII, *fig.* 71).

P. *niger; prothorace postice griseo, nigro-impresso-punctato; elytrorum corio griseo punctis et maculâ rhombeâ ad suturae apicem nigris, membranâ fuscâ immaculatâ; femoribus anticis parum incrassatis, denticulo ante apicem; tibiis quatuor posticis spinulosis.* — Long. lin. 3 ¼: lat. lin. 1 ¼.

Lygaeus pini, Fab. Wolff.

Pachymerus pini, Hahn.

Cimex pini, Lin.

La punaise grise porte croix, Geoff.

Frequens in regno: non rarus hyeme sub arborum corticibus..

Variat: *a*, prothoracis parte postica elytrorumque corio obscurioribus, vel pallidioribus.

b, elytrorum membranâ apice maculâ minutâ albâ.

c, antennarum articuli secundi vel etiam tertii basi, et tibiis duobus vel quatuor anticis testaceis aut rufescentibus.

d, abdomine aeneo.

Quae variationes modo simul omnes in iisdem individuis, modo una vel altera tantum observantur.

Varietatem a Wolffio descriptam femoribus posticis denticulo praeditis observare nobis nonnumquam datum fuit.

4. (65) Aphanus luscus. (Wolff, *Icon. Tab.* XIV, *fig.* 139).

A. *niger; antennarum articulis secundo tertio et quarti basi testaceo-rufescentibus; prothoraee postice griseo punctis angulisque nigris; scutello punctis tribus albidis; elytrorum corio griseo punctis in seriem impressis nigris, postice nigro maculâ magnâ albâ; membranâ fuscâ maculis duabus albis; abdomine aeneo; pedibus testaceis, femoribus apice nigris, anticis dente minuto ante apicem.* — Long. lin. 3: lat. lin. 1.

Lygaeus luscus, Fab. Wolff.

Pachymerus luscus, Hahn.

Lygaeus quadratus, Panz.

Cimex umbratilis? Goetz.

Cimex lacteolus? Lin.

Frequens in regno.

Variat: antennarum articulis tribus primis totim testaceis vel rufescentibus.

5. (66) Aphanus margine-punctatus. (Hahn, *Wanz. Ins.* II, *Tab.* 8, *fig.* 32).

A. *ovatus, pallide griseo-flavescens, minute fusco punctatus; prothoracis elytrorumque marginibus lateralibus pallidioribus, punctis majoribus nigris; pectore aeneo; abdomine ferrugineo, nigro maculato; femoribus anticis incrassatis inermibus.* — Long. lin. 3: lat. 1 1/3.

Lygaeus marginepunctatus, Wolff. (Ic. *Tab.* XV, *fig.* 144, *mediocris.*)

Pachymerus marginepunctatus, Schil Hahn.

Prope Neapolim et in aliis regni regionibus.

Variat: a scutello fusco-maculato.

Innumerae adhuc hujus divisionis species extant, de quibus in altera Centuria dictum erit.

b) Caput subtus canali rostrali marginibus plus minusve elevatis.

+ Rostrum pedes posticos excedens.

6. (67) Aphanus tardus.

A. *niger; capite et prothorace fortiter punctato-granulatis; elytrorum corio sanguineo margine scutellari apiceque nigris, membranâ albo-hyalinâ; abdomine sanguineo marginibus anoque nigris; tibiis posticis annulo lato pallide rufescente; femoribus anticis incrassatis apice denticulato-serratis.* — Long. lin. 2-2 ⅔: lat. ⅔ lin.

Stenogaster tardus, Hahn.

Aphanus tardus, Spin.

Frequens prope Neapolim; saepius in Tilia europaea.

Variat: a, antennarum articuli secundi basi tibiisque anticis rufo-ferrugineis.

b, abdomine subtus nigro, medio obsolete rufescente.

—— *varietas* hyalinipennis, *nob.*

Differt elytrorum corio albido puncto apicali nigro, tibiarum annulo pallido. ♂ ♀.

Quoad antennarum abdominisque colores iisdem ac typus variationibus subjecta est.

++ Rostrum pedes posticos non excedens.

7. (68) Aphanus insignis, *nob. Fig. 7.*

A. *niger; capite et prothorace punctato-granulatis; prothorace postice fusco-cinnamomeo; elytrorum corio albido maculâ mediâ fuscâ, membranâ pallide fuscâ maculis duabus albidis; antennarum articulo secundo pedibusque rufo-testaceis, femoribus medio nigris, tibiis 4 posticis an-*

nulo lato pallido; femoribus anticis dentibus tribus decre scentibus apice armatis ; ♀ *ano rufescente.* — Long. lin. 1 1/4: lat. 3/8 lin.

Antennae corporis dimidia longitudine, articulo primo crassiori basi attenuato, secundo longiori et tenuiori, tertio subconico, quarto subovato: nigrae, articulo secundo rufo-testaceo.

Caput ovatum, subtiliter punctato-granulatum, antice acuminatum, post oculos coarctatum, lobo medio lateralibus longiori, apice subtruncato; subtus canali marginibus elevatis per totam longitudinem pro rostri articuli primi receptione excavatum: nigrum, pube brevi rarâ albidâ tectum. *Oculi* subprominuli, prothoracis marginem anticum haud tangentes: fusci. *Ocelli* sat prominuli, ab oculis et prothoracis margine antico aeque distantes: nigri.

Rostrum pedum posticorum basim attingens neque excedens: nigrum.

Protorax antice angustior, marginibus rotundatis, medio, et obsoletius pone marginem anticum, transversim impressus, crebre impresso-punctatus, subtiliter granulatus: niger, post medium fusco cinnamomeum, pube capitis simili vestitus.

Scutellum parvum, triangulare, itidem impresso-punctato-granulatum: nigrum.

Elytra corio albido, ad marginem scutellarem obscuriori, maculâ mediâ latâ fuscâ ex nervis maculisque interjectis constitutâ; membranâ fuscâ, angulo basilari maculisque duabus pone apicem, unâ margine internum alterâ marginem externum tangente, albidis.

Alae albae iridizantes.

Sternum punctatum, pro rostri receptione haud canaliculatum: prosternum fusco cinnamomeum, nigro variegatum: mesosternum nigrum: metasternum nigrum utrinque appendice mem-

branaceâ transversâ supra abdominis segmentum primum productâ albâ.

Abdomen subtiliter punctatum, nigrum subnitidum, in mare immaculatum, in femina ano et orificii genitalis marginibus rufo-testaceis.

Pedes breves, femoribus crassiusculis, anticis crassioribus dentibus tribus decrescentibus armatis, tibiis levibus: rufo testacei, femoribus medio nigris, tibiis posticis vel etiam mediis annulo lato pallido.

Prope Neapolim nec non in Aprutiis, Calabriis aliisque regni regionibus: haud rarus.

Variat: a, prothoracis nigredine plus minusve extensâ: modo enim margo anticus etiam fusco cinnamomeus est, modo totus prothoracis dorsus niger margine tenui postico fusco-cinnamomeo.

b, ventre in ♀ omnino testaceo-pallido.

Observatio. Habitus huius speciei et capitis forma ac structura ab Aphanis genuinis valde recedunt; in nullo tamen cognitorum generum melius quam in hoc collocari potest. Si femora antica haud crassiora vel reliquis saltem aequalia essent in genere *Niesthrea* Spinolae referri poterit, caeteri enim characteres sat conveniunt; facie tamen nullo modo ad *Coreum sydae*, quem auctor pro illius generis typo sumpsit, accedit.

An novum genus pro ea condendum?

B. Ocelli nulli.

Genus Astemma, *Latr.*

Corpus subovatum. *Antennae* filiformes: articulo 1.° valde elongato, 2.° longiori, 3.° reliquis breviori, 4.° elongato apice subacuminato. *Rostrum* pedes posticos attingens et nonnumquam multo excedens. *Pedes* mediocres vel longi.

1. (69) Astemma apterum. (Wolff, *Icon. Tab.* XI, *f.* 102).

A. *apterum, elytrorum membranâ abbreviatâ vel nullâ: niger; prothoracis limbo, abdominis marginibus lateralibus et ultimi segmenti margine postico rubris; elytris rubris margine scutellari, puncto et maculâ posticâ rotundâ nigris; pectore rubro maculis tribus utrinque nigris; femoribus anticis minute denticulatis.* — Long. lin. 4: lat. lin. 1 ⅓.

Astemma apterum, Lep. et Ser. Spin.

Lygaeus apterus, Fab. Wolff.

Cimex apterus, Lin. Ros.

Platynotus apterus, Schil. Hahn (I, *Tab.* III, *fig.* II.).

Pyrrhocoris aptera, Fal.

Pyrrhocoris apterus, Burm.

Meganotus apterus, Lap. (*Essai*, *p.* 38).

Phytocorisa aptera, ejus. (*p.* 83.)

La punaise rouge des jardins, Geof.

Frequens ubique atque omni tempore, maxime tamen primo vere, sociatim ad plantarum praesertim malvaeearum radices vivens.

Raro alatum atque elytrorum membranâ completâ nigrâ immaculatâ individua invenimus.

2. (70) Astemma aegyptium. *Fig.* 8.

A. *ruber; antennis, capite, rostro, prothoracis disco, scutello, puncto in elytrorum corio, horum membranâ, maculis pectoralibus et ventralibus pedibusque nigris; femoribus omnibus ♂, anticis tantum ♀, minute biseriatim dentatis, mediis et posticis in mare apice dente bino majori.* — Long. lin. 3 ⅓: lat. lin. 1 ⅓.

Astemma aegyptium, Spin.

Lygaeus aegyptius, Fab.

Platynotus aegyptius, Hahn.

Cimex italicus, Rossi.

Frequens in regno: vivit sociatim in numerosas sed raras cohortes.

Familia XIII.ª CAPSINI.

Corpus *elongatum vel subovatum, minus coriaceum.* Antennae *4-articulatae, setaceae.* Ocelli *nulli.* Rostrum *4-articu-*

latum. Scutellum *parvum*. Elytrorum corium *tenue*; membrana, *sistens*, *basi cellulâ unicâ vel duabus inaequalibus ex nervis notata*. Tarsi *3-articulati*; *unguiculis membranâ laterali basi instructis*.

A. Elytra corio ad apicem transversim impresso-articulato (1), membranâ completâ.

Genus PHYTOCORIS, *Fall*.

Corpus oblongum; capite subovulari, tuberculo antennifero nullo; prothorace postice multo latiori, margine antico recto. *Antennae* ante oculos insertae: articulo 1.° subcrassiori, 2.° filiformi longissimo, 3.° et 4.° tenuioribus setaceis. *Pedes* mediocres, simplices.

1. (71) Phytocoris gothicus. (Hahn, *Wanz. Ins*. I, *Tab*. II, *fig*. 5).

Ph. *niger*, *villosus; capitis maculis duabus pone oculos*, *prothoracis lateribus*, *scutelli apice*, *elytrorum squamâ*, *apice excepto*, *et vittis duabus ventralibus rubris vel coccineis*; *elytrorum margine externo pallido*. — Long. lin. 3 ½: lat. lin. 1.

Phytocoris gothicus, Spin.

Lygaeus gothicus, Fab. (*Ent. Syst*.), Wolff.

Capsus gothicus, Fab. (*Syst. Ryng*.).

Lopus gothicus, Hahn.

Cimex gothicus, Lin.

La punaise à brocard jaune? Geoff.

Frequentior in Aprutis.

Variat: prothoracis lineâ mediâ dorsali rubrâ: nos autem nondum varietatem hanc in regno legimus.

Observatio. Synonimon Geoffroyi ab Hahnio allatum dubium; illius enim speciei descriptio (2) haud omnino cum *Ph. gothico* convenit.

---

(1) Spatium triangulare quod inter articulationem et membranam restat *squamae* nomine, sicut et Spinola proposuit, indicabimus.

(2) Geoff. *Hist. Abr. des Ins*. I p. 445, n. 19.

2. (72) Phytocoris flavomaculatus. (Wolff, *Tab.* XI, *f.* 108).

Ph. *niger, nitidus; elytrorum maculâ magnâ oblongâ externâ baseos, et squamâ, apice excepto, flavis; antennarum articulo primo pedibusque rufescentibus.* — Long. lin. 2 ½: lat. ¾ lin.

Phytocoris flavomaculatus, Burm. Spin.

Lygaeus flavomaculatus, Fab. (*Ent. Syst.*).

Capsus flavomaculatus, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Cimex tricolor, Lin.

Cimex quadriflavomaculatus, Deg.

Haud infrequens in regno: prope Neapolim rarior.

Variat: *a*, elytrorum maculis pallidis.

b, femoribus apice fuscis.

3. (73) Phytocoris agilis. (Wolff, *Icon. Tab.* XV, *f.* 147).

Ph. *niger, nitidus; antennarum articulo primo rufescente; maculâ occipitali pallidâ; prothoracis margine antico tenui, et postico latiori medio antice acute producto scutelloque flavis; elytris corio laete ferrugineo maculâ externâ baseos pallidâ, squamâ croceâ apice extimo nigro, membranâ nigricante maculâ ad squamae apicem albidâ; rostro pedibusque pallide flavis.* — Long. lin. 3: lat. ¾ lin.

Capsus agilis, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Lygaeus agilis, Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.

Cimex agilis, Lin. *cur.* Gmel.

Phytororis histrionicus, Burm. (*excl. syn.*).

La punaise porte-coeur à taches jaunes au bout des etuis, Geof.

Prope Neapolim in apricis, mense maji: parum frequens.

Nota. Femina ventre flavo et ano croceo a mare differt.

Variat: macula occipitali nulla.

Observatio. Cimex histrionicus Linnei (*niger, scutello flavo, elytris pedibusque testaceis*), cujus Burmeister *Cim. agilem* Fabricii synonimon consideravit, alia et prorsus distincta species.

4. (74) Phytocoris pallipes. (Hahn, *Wanz. Ins.* I, *Tab.* IV. *fig.* 16.

P. *niger, nitidissimus, supra subaeneus, minutissime pubescens; antennis, rostro pedibusque pallide flavis; elytrorum membranâ maculâ ad squamae apicem albidâ.* — Long. lin. 2 ¾: lat. ¾ lin.

Phylus pallipes, Hahn.

Prope Neapolim, nec non in aliis regni regionibus: parum frequens.

5. (75) Phytocoris 6-punctatus. (*Encycl. meth. Tab.* X).

Ph. *niger; prothorace rubro, maculis duabus oblongis nigris; scutello rubro basi nigro; elytris rubris maculis duabus oblongis membranâque nigris; abdominis marginibus rufis.* — Long. lin. 4-4 1/2: lat. lin. 1 1/4.

Lygaeus 6-punctatus, Fab. Latr.

Miris Carcellii, Encycl. Duf.

Frequens in regno, praesertim primo vere, in floribus.

Varietates plurimae in hac specie observantur. Distinctiores quas in regno invenimus sunt:

a, ruber vel rubro-testaceus; capite, antennarum articulis tertio quarto et secundi apice, elytrorum membranâ, coxis pectoreque medio nigris.

b, niger; prothorace, scutelli apice et elytrorum corio coccineis; abdominis lateribus anoque rufis.

Lygaeus nemoralis, Fab.

Miris coccinea, Duf.

c, niger; prothorace, scutelli apice et elytrorum corio testaceo-nankineis; femorum basi abdominisque lateribus rufis vel rubris.

Miris nankinea, Duf.

d, niger, immaculatus; tibiis saepius pallidis.

Cimex piceus, Cyr. (*Ent. Neap. Tab.* XII, *fig.* 7).

6. (76) Phytocoris nigrovittatus, *nob. Fig.* 9.

Ph. *niger; prothoracis marginibus lateralibus lineâque dorsali mediâ, scutelli apice, elytrorum corii margine externo et vittâ internâ obliquâ, squamâ, abdominis segmentorum marginibus tibiisque lividis subvirescentibus.* ♂ ♀. Long. lin. 3: lat. lin. 1 ¼.

Statura et certa affinitas cum Phyt. 6-punctato.

Antennae articulis primo et secundo nigris, tertio et quarto obscure fuscis, tertio basi pallido.

Caput nigrum, nitidum, immaculatum.

Prothorax dorso livido-vivescens, margine tenui antico vittisque duabus plus minusve latis nigris: seu niger, marginibus lateralibus et lineâ mediâ dorsali livido-virescentibus.

Scutellum basi nigrum, apice livido-virescens.

Elytra itidem livido-virescentia, margine scutellari lato et vittâ a basi usque ad squamam productâ nigris: seu nigra, margine externo et vittâ internâ obliquâ livido virescentibus; squama livido-virescens vel pallide crocea; membrana nigro-fumosa.

Alae elytrorum membranae concolores.

Pectus nigrum, maculis pallidis.

Abdomen nigrum, segmentorum marginibus posticis lividis; rarius subtestaceis.

Pedes nigris: tibiis spinulosis pallidis.

Characteres in utroque sexu constantes.

Frequens prope Neapolim, in hortis.

Observatio. An *Miris marginellus* (*niger*, *thorace lineis tribus*, *elytris margine omni albis punctoque apicis coccineo*) Fabricii? Elytra tamen puncto coccineo numquam terminantur.

7. (77) Phytocoris seticornis. (Wolff, *Icon. Tab.* XVI, *fig.* 152).

Ph. *niger*, *supra subolivaceus*, *subpubescens*; *prothoracis margine tenui postico lineâque dorsali mediâ*, *elytrorum corii margine lato externo*, *tibiis tarsisque pallidis*; *elytrorum squamâ coccineâ*, *basi internâ apiceque nigris*; *membranâ fusco-fumosâ*; *antennarum articulo secundo et tertio rufescentibus*. — Long. lin. 3 ½: lat. lin. 1 ⅙.

Phytocoris seticornis, Burm.

Capsus seticornis, Fab. (*Syst. Ryng.*), Lap.

Lygaeus seticornis, Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.

Cimex seticornis, Lin.

In Aprutiis, in herbaceis ad rivulorum margines.

Variat: prothoracis lineâ dorsali et nonnumquam etiam margine postico concoloribus.

Genus Globiceps, *Lep.* et *Serv.*

Corpus elongatum, cylindricum; capite magno, subconico, rotundato, prothorace latiori, post oculos angustato; prothorace

antice paulo angustiori, pro capitis receptione emarginato. *Antennae* articulo 1.° brevi subfiliformi, 2.° valde longiori apice subabrupto incrassato, reliquis tenuioribus subaequalibus. *Pedes* graciles, simplices.

1. (78) Globiceps variegatus, *nob. Fig.* 10.

G. *niger nitidus; antennarum articulo primo et secundo, hujus apice excepto, pedibusque rufescentibus; elytrorum corio laete ferrugineo margine scutellari atro, maculis duabus externis brunneis, fasciâ baseos obliquâ alterâque apicali breviori albis; squamâ brunneâ; membranâ nigricante.* ♂. ♀. — Long. lin. 2 ⅓: lat. ⅔ lin.

Antennae corporis dimidiâ parte longiores; articulo primo brevi, tenui, subfiliformi, secundo primo triplo longiori, tenuiori, apice incrassato, crassitie clavam fingente, tertio primo vix longiori, filiformi, quarto primo subaequali, in mortuis compresso: articulo primo et secundo, hujus clavâ exceptâ, rufescentibus, articulo tertio et quarto et secundi clavâ obscure fuscis.

Caput magnum conicum obtusum marginibus rotundatis; supra convexiusculum, lineâ impressâ utrinque ab antennarum basi ad rostri basim productâ, aliisque duabus brevioribus lobos separantibus; subtus lateribus compressis, carinatum, carinâ latiusculâ, complanatâ, per totam longitudinem leviter excavatâ: nigrum subnitidum, subleve, supra setis longiusculis rarissimis albis sparsum.

Rostrum gracile, pedes posticos attingens: rufescens, articulo ultimo nigro.

Prothorax antice capite angustior, lateribus rotundatis; dorso convexiusculo, medio utrinque obsolete coarctato, lente transversim subtiliter rogoso: capiti concolor itidemque setis longiusculis albis rarissimis sparsus.

Scutellum triangulare, subleve, prothoraci concolor et iisdem setis sparsum.

Elytra corio lacte ferrugineo basi et margine scutellari atro, fasciâ obliquâ subarcuatâ albâ a margine externo post angulum humeralem ad marginem internum pone scutelli apicem ductâ, maculis duabus post eam in margine externo nigricantibus, prima oblonga secundâ subquadrata postice albo-marginata; squamâ obscure bruneâ; membranâ nigricante.

Alae elytrorum longitudine, subviolascentes, iridizantes.

Pectus ed *abdomen* nigra, nitida, immaculata.

Pedes rufescentes, coxis posticis externe pallidis.

Prope Neapolim in collibus apricis (Camaldoli), in Quercu pubescente, mensibus Julii et Augusti: rara.

Variat: *a*, antennarum articulo tertio subrufescente.

b, occipite lacte rubente puncto medio nigro.

c, elytris obscurius ferrugineis.

d, — maculis duabus nigricantibus marginis externi angustioribus.

Observatio. Descripta species a veris generis *Globiceps* speciebus capitis formâ differt: in illis enim subrotundum caput est, subtus lateribus haud compressis, neque per totam longitudinem excavatum, quo ultimo charactere et ag. *Phytocoris* distat.

An novum genus eo condendum?

Genus Heterotoma, *Lat.*

Corpus elongatum. *Antennae* hirtae: articulo 1.° lato triangulari, 2.° valde elongato dilatato compresso ovato, 3.° et 4.° gracilibus filiformibus aequalibus. *Pedes* graciles, simplices.

1. (79) Heterotoma spissicornis. *Fig.* 11.

H. *niger, nitidus, supra subaeneus, pubescens; antennarum articulis secundo et tertio fusco-rubris pilosis, tertio et quarto fuscis basi pallidis; pedibus pallide flavis vel citrinis, tarsorum apicibus fuscis; elytris fusco-rubentibus, membranâ fusco-hyalinâ externe obscuriori puncto ad squamae apicem albido; alis rubro-violaceis.* — Long. lin. 2 ⅓ lat. ⅔ lin.

Heterotoma spissicornis, Latr. Lap.
Capsus spissicornis, Fab. (*Syst. Ryng.*).
Lygaeus spissicornis, Fab. (*Ent. Syst.*).
Cimex meriopterus, Scop.
Miris **** Scell. (*l. c. Tab.* III *fig.* 4).

Haud infrequens in regno, in herbaceis et fruticibus. Habitat et in *Olea europaea*, cui tamen nulli est detrimento.

Variat: abdomine pallide castaneo.

Observatio. Cimex planicornis Pallas (*Spic. Zool. Tab* 1, *fig.* 3) alis lactescentibus tantum ab *Heterotoma spissicorni* differt. Forte mera varietas.

B. Elytra corio raro apice transversim impresso-articulato; membranâ nullâ.

Ad hanc divisionem genus Euricephala, *Lap. Spin. seu* Halticus, *Hahn, Burm. pertinet, de quo in alterâ Centuria loquamur.*

Familia XIV.ª SCUTELLERINI.

Corpus *ovoideum*, *saepius compressum*, *capite marginato*. Antennae *filiformes vel apice crassiores*, *4-vel 5-articulatae*. Rostrum *4-articulatum*. Scutellum *magnum*, *abdominis dimidium longitudine superans*.

A. Scutellum elytra haud tegens, neque abdominis apicem unquam attingens.
(Pentatomidae)

Genus Raphigaster, *Lap.*

Antennae 5-articulatae. *Rostrum* articulo 1.° in sulco gutturali receptum. *Sternum* muticum. *Abdominis* segmentum pri-

mum antice in spinam porrectum. *Pedes* mediocres, simplices: tarsi unguiculis membranâ basi instructis.

1. (80) Raphigaster griseus. (Wolff, *Icon. Tab.* VI, *f.* 56).

R. *supra obscure griseus; prothoracis angulis anticis denticulo minuto praeditis; abdominis dorso nigro, marginibus albido-maculatis; subtus pallidior, punctis nigris adspersum; antennis nigris flavo-annulatis; spinâ ventrali acutâ, ad pedes anticos productâ.* — Long. lin. 7-8: lat. lin. 4.

Raphigaster griseus, Lap. Spin.
Pentatoma grisea, Latr. Duf.
Cimex griseus, Lin. Fab. Panz. Wolff.
Cimex punctipennis, Burm.

Frequens in regno. Hybernat sub arborum corticibus.

Genus Pentatoma, *Latr.*

Corpus subelongatum vel subovatum. *Antennae* 5-articulatae. *Caput* rotundatum, marginibus haud reflexis. *Rostrum* articulo 1.° in sulco gutturali receptum. *Sternum* et *abdomen* mutica. *Pedes* mediocres, tibiis muticis, tarsorum unguiculis membranâ basi instructis.

1. (81) Pentatoma smaragdula. (Wolff, *Icon. Tab.* VI, *fig.* 53).

P. *laete viridis; antennarum articulis quarto quinto et tertii apice rufo-ferrugineis; scutello basi punctis tribus flavis, alioque immerso atro utrinque; abdomine viridi, marginibus dente nigro minuto in quovis segmento; elytrorum membranâ albo-hyalinâ; ventre carinato; tibiis anticis medio spinâ minutissimâ acutâ.* — Long. lin. 5-7 ½: lat. lin. 1.

Pentatoma smaragdula, Latr. Duf.
Cimex smaragdulus, Fab. Lin. Wolff.

Frequens in regno, praesertim autumno, quo tempore et sociatim unâ cum sequente varietate vivere invenimus.

Variat: *a*, colore obscurius viridi et in autumno saepius griseo-rufescente.

b, scutelli punctis tribus flavis obsoletis.

c, tibiarum et tarsorum articulorum apicibus ferrugineis.

—— *Varietas*: prothoracis capitisque tertiâ parte anticâ albo-flavescente.

Pentatoma torquata, Latr. Spin.

Cimex torquatus, Fab.

Praecedente rarior, ac iisdem coloris varietatibus subjecta. In speciminibus griseo-rufescentibus et color flavus capitis et prothoracis rufescit.

Nonnumquam elytra basi et abdomen albido-flavo marginata.

Observatio. Constans videtur quod haec species in autumno colorem griseo-rufescentem acquirat, eum et clar. Dufour id bene notavit (1) et nos ipsi pluries hoc neque alio tempore observavimus.

—— *Varietas* altera, *minor*. Specimen prope Neapolim legimus tres et dimidiam lineas longum, duo et dimidiam latum, pallide viride, prothoracis elytrorumque baseos marginibus et ventre medio rufo-ferrugineis, antennis viridibus articulo quarto tantum vix rufescente, scutelli puncto immerso utrinque concolore.

2. (82) Pentatoma dissimilis. (Wolff, *Icon. Tab.* VI, *f.* 50).

P. *supra viridis*; *subtus*, *antennis*, *prothoracis margine laterali lineisque duabus transversis anticis pedibusque rufo-ferrugineis; abdomine supra atro-violaceo, marginibus viridibus ferrugineo maculatis; elytrorum membranâ fusco-aeneâ; tibiis anticis medio spinâ minutissimâ acutâ*. — Long. lin. 5-6: lat. lin. 4.

Pantatoma dissimilis, Latr. Duf. Lap.

Cimex dissimilis, Fab. Lin. Panz. Wolff, Burm.

Var. *Cimex prasinus*, Fab. Wolff, (*l. c. f.* 49).

Pentatoma prasina, Latr. Spin.

Haud infrequens in regno.

Variat: a, colore obscurius viridi.

b, antennarum articulis primo et secundo viridibus.

c, prothoracis lineis duabus anticis obsoletis, concoloribus.

d, abdomine supra marginibus rufo-ferrugineis, immaculatis.

e, ventre viridi, pedibus viridibus vel flavescentibus, tibiarum apicibus tarsisque ferrugineis.

(1) *Recher. sur les Hémipt.* p. 29 *et* 30.

Observatio. A praecedente, praeter colores, corpore minus elongato, et prothorace antice depresso, postice minus elevato, profundius impresso-punctato, marginibus lateralibus parum supra reflexis angulisque posticis magis extus productis sat differt.

Genus EURYDEMA, *Lap.*

Corpus subrotundum. *Antennae* 5-articulatae. *Caput* rotundatum, marginibus supra reflexis. *Rostrum* articulo 1.° in sulco gutturali receptum. *Sternum* et *abdomen* mutica. *Pedes* mediocres, tibiis muticis, tarsorum unguiculis membranâ basi instructis.

Observatio. A praecedente capitis marginibus supra reflexis tantum essentialiter hoc genus differt: habitus tamen diversus et corpus minus elongatum.

1. (83) Eurydema ornatum. (Wolff, *Icon. Cim. Tab.* II, *fig.* 15).

E. *nigrum*; *prothorace scutello elytrisque rubris*; *prothoracis maculis duabus anticis transversis et quatuor posticis oblongis*, *scutelli basi late punctisque duobus ante apicem*, *elytrorumque margine scutellari et maculis tribus nigro-aeneis; elytrorum membranâ obscure viridi*, *limbo albo*; *abdominis marginibus rubris nigro-maculatis.* — Long. lin. 4 ⅓: lat lin. 2 ⅓.

Eurydema ornatum, Lap. Spin.
Pentatoma ornata, Latr. Duf.
Cimex ornatus, Lin. Fab. Wolff.
La punaise rouge de choux, Geoff.
Var. *Cimex ornatus*, Lin. Fab. Wolff (*T.* IV, *f.* 58).
Cimex dominulus, Scop.

Frequens in regno: praesertim primo vere.

Variat: *a*, prothoracis scutelli elytrorumque maculis nigris vel nigro-cyaneis.
b, prothoracis maculâ quâque anticâ cum duabus posticis conjunctâ, maculam magnam postice divisam constituendo.
c, colore croceo vel pallide flavo, capite ante medium con-

colore, ventre itidem concolore lineâ mediâ macularum nigrarum, pedibus concoloribus, femorum apice tibiis tarsisque nigris.

d, ventre immaculato, pedibus croceis vel rubris geniculis tantum nigris.

e, magnitudine. Specimina tres lineas longa in nostra collectione servantur.

2. (84) Eurydema oleraceum. (Wolff, *Icon. Tab.* II, *fig.* 16).

E. *coeruleo-aeneum; prothoracis marginibus lateralibus lineâque dorsali mediâ, scutelli apice et punctis duobus ante illum, elytrorumque margine externo et maculâ posticâ rubris croceis vel albis.* — Long. lin. 3 ½: lat. lin. 2.

Eurydema oleraceum, Lap. Spin.

Pentatoma oleracea, Latr.

Cimex oleraceus, Lin. Fab. Wolff.

La punaise verte à rajes et taches rouges ou blanches, Geof.

Frequens in regno: maculis tamen rubris nondum invenimus, saepius albis rarius croceis.

Variat: a, prothoracis lineâ dorsali mediâ nullâ.

b, scutello punctis ante apicem nullis, apice tantum colorato.

d, corpore subtus flavescente, lineis tribus punctorum nigrorum.

e, tibiis annulo medio pallido.

f, pedibus flavescentibus geniculis tantum nigris.

Genus Sciocoris, *Fall.*

Corpus subrotundum, valde depressum. *Caput* latum, marginibus dilatatis, clypeum rotundatum integrum formantibus. *Antennae* sub clypeo insertae, 5-articulatae. *Rostrum* articulo 1.° in sulco gutturali receptum. *Sternum* et *abdomen* mutica. *Pedes* mediocres subgraciles, tibiis muticis, unguiculis membranâ basi instructis.

1. (85) Sciocoris marginatus. (Wolff, *Icon. Tab.* X, *f.* 96).

S. *griseo-ferrugineus; prothoracis lateribus dilatato-rotundatis subreflexis, maculâ anticâ albidâ; scutelli apice, abdominis maculis lateralibus, antennarumque annulis albidis; pectore et ventre aeneo-maculatis; pedibus nigro-punctatis.* — Long. lin. 3 ¼: lat. lin. 2 ¼.

Sciocoris marginatus, Burm.

Pentatoma marginata, Latr.

Edessa marginata, Fab. (*Syst. Ryng*).

Cimex umbraculatus, Lin.

Acanthia umbraculata, Fab. (*Ent. Syst.*), Panz.

Sciocoris umbraculatus, Spin.

Pentatoma aparines, Duf. (*p.* 31).

Frequens in regno.

2. (86) Sciocoris umbrinus. (Hahn, *Wanz.* I, *Tab.* 31, *fig.* 100).

S. *griseo-flavescens, supra minutissime fusco-impresso-punctatus; antennis apice nigris; abdomine lateribus fusco-maculatis; ventre lineis duabus longitudinalibus maculâque ante anum fusco-aeneis; tibiis denticulis minutissimis raris armatis* (1). — Long. lin. 2 ¼-3: lat. lin. 1 ¾-2.

Sciocoris umbrinus, Hahn, Burm. Spin.

Cydnus umbrinus, Fall.

Pentatoma umbrina, Latr.

Cimex umbrinus, Panz. Wolff (*Tab.* XIV. *fig.* 136).

Haud infrequens in regno.

Variat: *a*, colore griseo-fusco.

b, scutelli maculis duabus baseos pallide flavis.

c, — puncto in quovis angulo baseos immerso nigro.

d, ventre immaculato.

Observatio, Alterum habemus specimen, prope Neapolim lectum, capite antice magis producto, scutello medio costulis duabus longitudinalibus sat distinctis, elytrorumque membranae nervis valde elevatis. Forte accidentalis varietas!

---

(1) Hoc charactere descripta species a gen. *Sciocoris* ad gen. *Cydnus* qui sequitur gradum facit.

Genus Cydnus, *Fab.*

Corpus subrotundum. *Antennae* 5-articulatae. *Caput* rotundatum. *Rostrum* breve, pedes anticos vel rarius medios aut posticos attingens, articulo 1.° in sulco gutturali receptum. *Sternum* et *abdomen* mutica. *Pedes* mediocres, tibiis undique spinosissimis.

1. (87) Cydnus bicolor. (Wolff, *Icon. Tab.* VII, *fig.* 60).

P. *ater, nitidissimus; prothoracis maculâ anticâ marginali utrinque, elytrorum maculis duabus marginalibus dentatis, abdominis maculis lateralibus tibiarumque annulo lato albis.* — Long. lin. 3-4: lat. lin. 1 ¾-2 ¼.

Cydnus bicolor, Fall. Burm. Spin.

Pentatoma bicolor, Latr.

Cimex bicolor, Lin. Fab. Wolff.

La punaise noire à quatre taches blanches, Geof.

Frequens in regno, etiam hyeme.

Variat: *a*, colore atro-caeruleo vel violascente.

b, maculis flavescentibus.

c, prothoracis maculâ laterali angustiori et longiori, elytrorumque maculis minus dentatis.

2. (88) Cydnus albomarginellus. (Wolff, *Icon. Tab.* VII, *fig* 61).

C. *atro-caeruleus nitidissimus; prothoracis elytrorumque margine tenui abdominisque maculis lateralibus albis.* — Long. lin. 3 ¼: lat. lin. 2.

Cimex albomarginellus, Fab.

Pentatoma albomarginella, Latr.

Cimex dubius, Scop. Wolff.

Cimex albomarginatus, Schr.

Lectus in extremis Aprutiorum regiobus, et prope Ascoli in Statu Pontificio. Invenitur et in Apulia, rarius.

Observatio. Clar. Latreille (1) scutelli apicem album describit: id tamen nunquam observavimus, neque ullus auctor hoc modo speciem indicavit.

(1) *Hist. Natur. des Crust. et Ins.* XII, *p.* 196, *n.* 41.

3. (89) Cydnus albomarginatus. (Wolff, *Icon. Tab.* VII, *fig.* 62).

C. *ater , nitidus; elytrorum margine exteriori albo , membranâ flavescente; antennis pedibusque piceis.* — Long. lin. 1 ¾-2 ¼: lat. lin. 1-1 1/3.

Cydnus albomarginatus , Hahn.

Pentatoma albomarginata , Latr.

Cimex albomarginatus, Fab. Wolff.

Cimex leucomelas , Lin.

La punaise noire à bordure blanche, Geof.

Prope Neapolim nec non in aliis regni regionibus : parum frequens.

4. (90) Cydnus tristis. (Cyr. *Ent. Neap. Tab.* I, *f.* 14).

C. *aterrimus*, *subnitidus*; *prothorace medio transversim impresso et antice orbiculariter excavato*; *elytrorum membranâ albâ*. — Long. lin 4-6: lat. lin. 2 ¼-2 ¾.

Cydnus tristis , Fab. (*Syst. Ryng.*), Lap. Spin.

Pentatoma tristis , Latr.

Cimex tristis, Fab. (*Ent. Syst.*).

Cimex spinipes, Schr.

La punaise noire, Geof.

Frequens in regno , omni tempore.

Observatio. Descriptio Geoffroyi (sp. cit.) huic speciei et *C. morio* aeque applicari potest.

Genus Asopus , *Burm.*

Corpus subovatum. *Antennae* 5-articulatae. *Caput* subquadratum. *Rostrum* validum , articulo 1.° libero ; gula haud sulcata pro illius receptione. *Sternum* et *abdomen* mutica. *Pedes* subvalidi, rarius graciles , tibiis muticis , tarsorum unguiculis membranâ basi instructis.

Observatio. Hujus generis species rostro valido, cujus vaginae articulus primus in sulco gutturali non recipitur, a caeteris Pentatomidis sat distinguitur. Reliquis tamen habitus characteribus valde inter se discrepant ; atque in Spinolae systemate in pluria genera distributae inveniuntur.

1. (91) Asopus dumosus. (Hahn, *Wanz*. I, *Tab*. 16, *fig*. 64 et 65).

A. *obscure aeneus; capitis prothoracis scutellique lineâ mediâ dorsali, prothoracis marginibus lateralibus, scutelli punctis duobus baseos magnis limboque apicali, abdominis maculis lateralibus tibiarumque annulo lato croceis vel rubris; femoribus anticis dente valido, tibiis anticis spinâ brevi acutâ armatis.* — Long. lin. 6: lat. lin. 3 ¼.

Asopus dumosus, Burm.

Jalla dumosa, Hahn. Spin.

Pentatoma dumosa, Latr.

Cimex dumosus, Lin. Fab.

In Samniticis montibus, sub lapidibus: rarus.

Observatio. In hujus speciei nostri regni speciminibus idem ac in *Eur. oleraceo* advenit: maculis scilicet, punctis, lineis tibiarumque annulo croceis, nec unquam rufis, invenimus.

B. Scutellum elytra maximâ parte tegens, abdominis apicem attingens et nonnunquam excedens.

(Scutelleridae p. d.)

Genus Tetyra, *Fab*.

Corpus latum, subtus parum convexum. *Prothorax* subtus margine antico dilatato, antea producto. *Antennae* sub prothoracis margine producto insertae, 5-articulatae: articulo 2.° tertio duplo longiori. *Scutellum* abdominis margines laterales haud tegens. *Elytra* membranâ nervis numerosis (10-16) notatâ. *Pedes* mediocres, simplices, mutici.

1. (92) Tetyra pedemontana. (Hahn, *Wanz*. II, *Tab*. 43, *fig*. 134).

T. *brunnea; supra convexa, minute nigro-impresso-punctata, punctis numerosis inaequalibus et scutelli punctis duobus baseos subcallosis albo-flavescentibus; scutello basi triangulariter elevato.* — Long. lin. 4 ¼: lat. lin. 3.

Tetyra pedemontana, Fab. (*Syst. Ryng.*), Ros. Burm. Spin.
Ventocoris pedemontana, Hahn.
Scutellera pedemontana, Latr.
Cimex pedemontanus, Fab. (*Ent. Syst.*), Cyr. (*Ent. Neap. Tab.* XII, *fig.* 9).
In provincia Salentina : rarissima.
Variat : colore obscuro nigricante, supra punctis raris sparsis albidis vel rufescentibus.

Genus Trigonosoma, *Lap.*

Corpus subtrigonum, subtus valde gibbum, abdomine subtriangulari. *Prothorax* subtus margine antico dilatato, oblique producto. *Antennae* 5-articulatae: articulo 2.° tertio longiori. *Scutellum* abdominis margines laterales haud tegens. *Elytra* membranâ nervis 5 notatâ. *Pedes* mediocres, simplices, mutici, tarsis subvalidis.

1. (93) Trigonosoma nigellae. (Wolff, *Icon. Tab.* IX, *fig.* 86).

T. *fusco-castanea; antennis, capite, prothorace antice, abdominis marginibus, ventre pedibusque flavis*; *elytris corio sanguineo, margine externo nigricante.* — Long. lin. 4 ¾: lat. lin. 3-3 1/3.
Trigonosoma nigellae, Lap. Spin.
Tetyra nigellae, Fab. (*Syst. Ryng.*).
Cimex nigellae, Fab. (*Ent. Syst.*), Lin. Wolff.
Scutellera nigellae, Latr.
Cimex aeruginosus, Cyr. (*Ent. Neap. T.* VI, *f.* 3).
In regno : parum frequens.
Variat: *a*, colore nigricante.
b, prothorace fusco-castaneo, fasciâ latâ ante marginem anticum flavâ.

Genus Graphosoma, *Lap.*

Corpus saepius *depressum*, latum. *Caput* antice medio

scissum, lobis lateralibus elongatis acutis lobo medio longioribus. *Prothorax* subtus margine antico haud dilatato. *Antennae* 5-articulatae: articulo 2.° tertio longiori. *Scutellum* abdominis margines laterales haud tegens. *Elytra* membranâ nervis 5 notatâ. *Pedes* mediocres, simplices, mutici, tarsis validis.

1. (94) Graphosoma nigrolineata. (Wolff, *Icon. Tab.* I, *fig.* 1).

G. *rubra*; *antennis, capitis lineis duabus apice confluentibus, prothoracis vittis sex scutelli quatuor nigris; abdominis dorso nigro, maculis quinque subquadratis marginalibus rubris; ventre pectoreque rubris, punctis per lineas dispositis pedibusque nigris.* — Long. lin. 4 ⅔-5 ⅓: lat. lin. 3-3 ⅓.

Graphosoma nigrolineata, Lap. Spin.

Tetyra nigrolineata, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Cimex nigrolineatus, Lin. Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.

Scutellera nigrolineata, Latr.

Cimex lineatus, Scop. Schr.

La punaise siamoise, Geof.

Frequens in regno, a mense Maji ad Septembrem: saepius in umbelliferis.

Variat: a, colore flavescente.

b, tibiis posticis annulo lato rubro.

c, — omnibus annulo lato rubro.

d, pedibus rubris, femorum annulo post medium, geniculis, tibiarum apice tarsisque nigris.

e, lineis nigris in prothorace 5-8, in scutello 3-4 (ex auctoribus).

Observatio. Nostri regni specimina, quotquot observavimus, constanter lineis sex in prothorace et quatuor in scutello notata sunt, quod et Vinc. Petagna jam animadverterat (1).

2. (95) Graphosoma semipunctata. (Wolff, *Icon. Tab.* I, *f.* 2).

G. *rubra; antennis, capitis lineis duabus, prothoracis punctis decem* (4-4-2) *lunulisque duabus lateralibus, scutelli vittis quatuor, elytrorum*

---

(1) Inst. Entom. II, p. 629, n. 1 — Spec. Ins. Ult. Cal. p. 41, n. 218.

margine externo, punctis ventralibus et pectoralibus per lineas dispositis tarsisque nigris. — Long. lin. 6: lat. lin. 3 ¼.

Graphosoma semipunctata, Lap. Spin.

Trigonosoma semipunctata, Burm.

Tetyra semipunctata, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Cimex semipunctatus, Lin. Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.

Scutellera semipunctata, Latr.

In regni partibus meridionalibus: parum frequens.

Variat: colore flavescente.

3. (96) Graphosoma albolineata. (Wolff, *Icon. Tab.* IX, *fig.* 89).

G. *subtrigona*; *prothorace antice valde declivi*, *postice elevato*, *utrinque porrecto obtuse spinoso*: *grisea*, *supra lineis quinque longitudinalibus subelevatis albis*; *abdomine subtus vittâ utrinque fuscâ*; *femoribus subserratis*; *tibiis anticis medio spinâ minutâ*. — Long. lin. 2 ¾-3 ¼: lat. lin. 2 ¼-2 ¾.

Graphosoma albo-lineata, Spin.

Trigonosoma albolineata, Burm.

Tetyra albolineata, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Cimex albolineatus, Fab. (*Ent. Syst.*), Wolff.

Scutellera albolineata, Latr.

Cimex leucogrammus, Lin.

Cimex nervosus, Cyr. (*Ent. Neap. T.* VI, *f.* 10).

In regno: parum frequens.

Variat: colore flavescente, abdomine subtus immaculato.

4. (97) Graphosoma flavolineata. (Coqueb. *Ill. dec.* 1, *Tab.* 9, *fig.* 6).

G. *subovata*; *prothoracis lateribus obtusis subrotundatis*, *scutello angustato*; *grisea*, *supra lineis quinque longitudinalibus subelevatis pallidioribus*; *ventre et pectore punctis per quatuor lineas dispositis nigris*; *femoribus ante apicem punctis confertis nigris*; *tibiis anticis medio spinâ minutissimâ lente conspicuâ*. — Long. lin. 3: lat. lin. 1 ¾.

Graphosoma flavolineata, Spin.

Tetyra flavolineata, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Scutellera flavolineata, Latr.

Frequens in Calabriis.

Variat: *a*, colore flavescente.

b, femoribus immaculatis.

Genus Podops, *Lap.*

Corpus subovatum, depressum. *Caput* lobis lateralibus medio subaequalibus vel longioribus. *Oculi* prominuli, subpedunculati. *Prothorax* subtus margine antico haud dilatato. *Antennae* 5-articulatae. *Scutellum* angustum, abdominis elytrorumque margines laterales haud tegens. *Elytra* membranà nervis tribus vel quatuor notatà. *Pedes* mediocres, simplices, mutici, tarsis validis.

Observatio. Claris. Spinola capitis lobos laterales medio haud longiores hoc in genere esse statuit. Attamen si pro *P. inuncto* hoc certo modo verum est, non in caeteris generis speciebus observatur. In altera quam describemus specie lobi laterales ultra medium producti sunt, primùm sejuncti, dein intus incurvati se tangunt, vacuum inter medii apicem et eorum unionem relinquehdo. Quod vacuum cum angustum sit atque a materiis heterogeneis saepius occupetur, observari non potest, nisi ab iis materiis caput liberare cura maxima habeatur.

1. (98) Podops inunctus. (Wolff, *Icon. Tab.* I, *fig.* 5).

P. *supra fusco-griseus fusco-impresso-punctatus, subtus fuscus; pedibus pallide flavis, punctis et tarsorum articulo tertio fuscis; prothorace antice utrinque dente subquadrato apice truncato angulis acutiusculis; capitis lobis lateralibus ultra medium haud conjunctis.* — Long. lin. 2 ⅓: lat. lin. 1 ⅓.

Podops inunctus, Lap.

Tetyra inuncta, Fab. (*Syst. Ryng.*).

Cimex inunctus, Fab. (*Ent. Syst.*), Lin. Wolff.

Scutellera inuncta, Latr.

Prope Neapolim saepius ad Sebeti rivulos, nec non in aliis regni regionibus: parum frequens.

2. (99) Podops curvidens, *nob. Fig.* 12.

P. *supra griseus fusco punctatus, capite et prothoracis parte anticâ obscurioribus, subtus obscure fuscus; antennis fuscis articulorum internodiis pallide testaceis; pedibus pallide testaceis punctis tarsorumque articulo tertio fuscis; prothorace antice utrinque dente valido depresso apice obtuso: capitis lobis lateralibus ultra medium conjunctis.* ♂ ♀. — Long. lin. 3: lat. lin. 1 ⅓.

Statura praecedentis, at paulo major.

Antennae breves; articulo primo crassiori, secundo tertio et quarto subaequalibus filiformibus, quinto longiori subovato: obscure fuscae, articulorum internodiis pallide testaceis, articulo ultimo pubescente.

Caput supra rude impresso-punctatum, subscabrum; lobus medius elevato-carinatus; lobi laterales medio longiores, antice subdilatati, compressi, marginibus subreflexis, externe rotundati, interne subarcuati convergentes et ultra medii apicem se tangentes punctum vacuum infra illius apicem et eorum marginem internum relinquentes (confer *fig.* 12 *B.*); dens subacutus ante oculos ad antennarum basim: fusco-griseum.

Rostrum pedum mediorum tantum originem attingens; articulo primo in sulco gutturali profundo recepto: pallide testaceum, apice obscuro.

Prothorax antice subscaber, utrinque dente valido depresso, antea oblique producto, externe rotundato, apice obtuso intus incurvato, postice vix elevatus, sublevis punctis crebris impressis; lateribus profundo emarginatis, postice dente truncato terminatis: fusco-griseus, anticâ parte punctisque impressis obscurioribus.

Scutellum lateribus subparallelis, postice rotundatus, abdominis longitudine in maribus, illo paulo brevius in feminis, sublevе, punctis crebris impressis: fusco-griseum, punctis impressis obscurioribus.

Elytrorum corium scutello concolor, atque itidem fusco-impresso-punctatum; membrana albo-hyalina.

Abdomen segmentorum angulis posticis obtusis; subtus crebre impresso-punctatum, tuberculo minuto utrinque in quovis segmento: obscure fuscum.

Pedes mediocres, tibiis tarsisque pilosis: pallide testacei punctis maculisque minutis in femoribus, tibiis, tarsorum articulo tertio et unguiculorum apice fuscis.

Prope Neapolim in humentibus ad lacum *Maremorto*, sub lapidibus: parum frequens.

Variat: *a*, scutello baseos punctis tribus flavis.

Observatio. A *Pod. iuuncto* capitis lobis lateralibus ultra medii apicem conjunctis et prothoracis dentis formâ sat distinctus.

An *P tangirus* (*Tetyra tangira*, Fab.)? Diagnosis Fabricii sat brevis et aequivoca, praesertim in hujus generis speciebus, dubia solvere non potest.

Genus Coptosoma, *Lap*.

Corpus valde convexum, subglobosum, postice truncatum. *Caput* breve, latum, antice rotundatum, lobis lateralibus medio paulo longioribus. *Oculi* sessiles. *Antennae* breves: articulo 2.° tertio multo breviori, vix conspicuo. *Prothorax* margine antico haud dilatato. *Scutellum* magnum, abdomen fere totim tegens. *Elytra* membranâ nervis saepius decem notatâ. *Pedes* simplices, mutici, femoribus longiusculis.

Observatio. Tarsi 2-articulati sunt, teste etiam Dno. Burmeister, non 3-articulati sicut Laporte descripsit. Microscopio tamen visi in pedibus anticis et posticis tertii articuli rudimentum inter primi et secundi articulationem observavimus.

1. (100) Coptosoma globus. (Wolff, *Icon. Tab.* I, *fig.* 3).

C. ater nitidus; antennis brunneis, articulis tribus primis flavescentibus; abdominis dorso punctisque marginalibus croceis vel rufe-

scentibus ; *geniculis* , *tibiarum apice tarsisque rufo-piceis*. — Long lin. 1 7/8-2: lat. lin. 1 1/3-1 7/8.

Coptosoma globus, Lap. Spin.

Thyreocoris globus , Burm.

Globocoris globus , Hahn.

Tetyra globus , Fab. (*Syst. Ryng.*).

Cimex globus , Fab. (*Ent. Syst.*).

Cimex scarabaeoides , Panz. (*Faun. Germ.* 36, 23).

In regno : haud rara.

Variat : colore aeneo ♀, obscure virescente ♂.

Frequens prope Neapolim in collis Camaldulensis cacumine, mensibus Iulii Iunii et Augusti , in Psoralea bituminosa.

Nota. Mas scutello postice profundius emarginate.

ALTERA CENTURIA ULTERIUS.

INDEX SPECIERUM.

Species * signatae uti novae in hac Centuria descriptae sunt.

47. —— sulcicornis.
48. Chaerosoma arundinis.
49. —— miriformis.
50. Alydus lateralis.
51. —— calcaratus.
52. Micrelytra fossularum.
53. Stenocephalus nugax.
54. Ophthalmicus grylloides.
55. —— erythrocephalus.
56. Heterogaster urticae.
57. Lygaeus militaris.
58. —— equestris.
59. —— saxatilis.
60. —— familiaris.
61. —— punctatoguttatus.
62. Aphanus echii.
63. —— Rolandri.
64. —— pini.
65. —— luscus.
66. —— marginepunctatus.
67. —— tardus.
68. —— insignis. *
69. Astemma apterum.
70. —— aegyptium.
71. Phytocoris gothicus.
72. —— flavomaculatus.
73. —— agilis.
74. —— pallipes.
75. —— 6-punctatus.
76. —— nigrovittatus. *
77. —— seticornis.
78. Globiceps variegatus. *
79. Heterotoma spissicornis.
80. Raphigaster griscus.
81. Pentatoma smaragdula.
82. —— dissimilis.
83. Eurydema ornatum.
84. —— oleraceum.
85. Sciocoris marginatus.
86. —— umbrinus.
87. Cydnus bicolor.
88. —— albomarginellus.
89. —— albomarginatus.
90. —— tristis.
91. Asopus dumosus.
92. Tetyra pedemontana.
93. Trigonosoma nigellae.
94. Graphosoma nigrolineata.
95. —— semipunctata.
96. —— albolineata.
97. —— flavolineata.
98. Podops inunctus.
99. —— curvidens. *
100. Coptosoma globus.

ENUMERATIO

Auctorum eorumque operum

De quibus in hac Memoria mentio fit.

Burmeister — Handbuch der Entomologie, *Vol.* II, *1835*, *in 8.°*

Coquebert (Ant. Ioan.) — Illustratio Iconographica Insectorum quae etc. *Decades tres*: *Parisiis an.* VII, X, XII. *in 4.°*

Costa (O. G.) — Annuario Zoologico per l'anno 1834: *Napoli 1834*, *in 12.°*

—— Fauna di Aspromonte. (*Atti della Reale Accademia delle Scienze di Napoli*, *Vol.* IV).

Curtis (Ioan.) — British Entomology: *London 1834 et 1835*, *in 8.°*

Cyrillus (Dom.) — Specimen I.um Entomologiae Neapolitanae: *Neapoli 1787*, *in folio.*

De Villers (Car.) — Nomenclator iconum Entomologiae Linneanae.

Dufour (Leo) — Recherches anatomiques et Physi ologiques sur les Hémiptères : *Paris 1833*, *in 4.°*

Fabricius (Ioan. Chr.) — Entomologia Systematica emendata et aucta : *Hafniae 1792-96*, *5 vol. in 8.° cum indice alphabetico.*

—— Systema Ryngotorum: *Brunsvigae 1803*, *1 vol. in 8.°*

Fallen — Monographia Cimicum Sueciae : *Hafniae 1807*, *1 vol. in 8.°*

Geoffroy — Histoire abrégée des Insectes: *Paris An.* VII, *2 vol. in 4.°*

Hahn (Car. Gul.) — Die Wanzenartigen Insecten: *Nuremberg 1831-1837, in 8.°*

Laporte (F. L.) — Essai d' une classification systématique de l' ordre des Hémiptères. (*Magasin de Zoologie publié par Guerin-Meneville , Paris 1833*).

Latreille — Histoire Naturelle générale et particuliere des Crustacés et des Insectes: *Paris An.* X-XIII, *14 vol. in 8.°*

—— Regne Animal du Baron Curier, *vol* IV.um *et* V.um

Lepellettier et Serville — Encyclopedie méthodique, Hémiptères.

Linneus (Car.) — Systema naturae , *edit.* XIII, *curante Gmelin, Leipsig 1788, 7 vol. in 8.°*

—— Entomologia Faunae Suecicae , descriptionibus aucta DD. Scopoli , Geoffroy , De Geer, Fabricii, Schrank etc.: *Lugduni 1789, 4 vol. in 8.°*

Panzer — Fauna Insectorum germaniae: *Nuremberg 1796 et seqq., in 12.°*

Petagna (Vinc.) — Institutiones Entomologicae: *Neapoli 1792, 2 vol. in 8.°*

—— Specimen Insectorum Ulterioris Calabriae : *Neapoli 1786, in 4.°*

Rossi — Fauna Etrusca: *Liburni 1790, 2 vol. in 4.°*

Schellemberg — Cimicum in Helvetiae aquis et terris degentium Genus in familias redactum: *Turici 1800, in 8.°*

Schrank (Fr. Paul.) — Enumeratio Insectorum Austriae indigenorum : *Augustae Vindelicorum 1781, 1 vol. in 8.°*

Schummel — Monographie des Plotères, *Breslaw.*

Scopoli (Ioan. Ant.) — Entomologia Carniolica: *Vindobonae 1763, 1 vol. in 4.°*

—— Deliciae Florae et Faunae Insubricae: *Ticini 1786-1788, 4 vol. in folio.*

SERVILLE (Audinet) — Description du genre Peirates. (*Annales des Sciences Naturelles de Paris*, *juin 1831*).

SPINOLA (Maxim.) — Essai sur les genres d' Insectes appartenents à l' ordre des Hémiptères et à la section de Hétéroptères : *Genes 1837*, *1 vol. in 8.°*

Westwood — Mémoire sur les genres Xylocoris, Hylophila, Microphysa, Leptopus, Velia et Hebrus. (*Annales da la Société Entomologique de France*, *Vol.* III, *1834*).

WOLFF (Ioan. Frid.) — Icones Cimicum descriptionibus illustratae, *fasciculi quinque : Erlangae 1800-1811*, *in 4.°*

CORRIGENDA.

Pag.	lin.		legendum.
7	7.	*acquis*	*aquis*
9	— 10.	*Notonecta minutissima*, Lin. Fab.	*Notonecta minutissima*, Fab. (non Lin.)
10	— 21.	*macutis*	*maculis*
12	— 29.	et alibi *nonnumquam*	*nonnunquam*
17	— 9.	et alibi *Abrutiis*	*Aprutiis*
20	— 15.	*inserits*	*insertis*
—	— 17.	*Dyctinota*	*Dyctionota*
—	— 26.	(*nota*) *septimam et octavam*	*octavam*
28	— 23.	*attitudine*	*altitudine*
33	— 7.	*morginem*	*marginem*
42	— 22.	*Salento*	*Salentino*
—	— 23.	*obdomine*	*abdomine*
43	— 17.	*quatuos*	*quatuor*
—	— 23.	*at*	*et*
44	— 10.	*nonnumquam*	*nunquam*
46	— 17.	*Protorax*	*Prothorax*
48	— 21.	*prothoracis disco*	*prothoracis disco marginibus omnibus exceptis*
49	— 26.	*prothoracis*	*prothorace*
52	— 10.	*nigris*	*nigri*
53	— 9.	*breviori*	*angustiori*
54	— 8.	*ed*	*et*
56	— 26.	*lat. lin. 1*	*lat. lin. 4*
59	— 10.	*coeruleo*	*caeruleo*

Reliqua benevolus lector corrigat.

TABULAE EXPLICATIO

Figura 1.ª *Corixa basalis*, nob.

a longitudo naturalis: *A* insectum auctum.

2.ª *Peirates stridulus*, magnitudine naturali.

3.ª *Monanthia quadrimaculata.*

a longitudo naturalis: *A* insectum auctum.

4.ª *Neides meridionalis*, nob.

a longitudo naturalis: *A* insectum auctum: *B* Thorax a latere visus, in quo *a* insertio pedum mediorum, *b* insertio pedum posticorum, *p* processus metathoracis.

5.ª Caput auctum *Merocoris Spinolae*, nob.

a a processus dentiformes.

6.ª *Verlusia sulcicornis*, magnitudine naturali.

7.ª *Aphanus insignis*, nob.

a longitudo naturalis: *A* insectum auctum.

8.ª *Astemma aegyptium*, magnitudine naturali.

9.ª *Phytocoris nigrovittatus*, nob. magnitudine naturali.

10.ª *Globiceps variegatus*, nob.


a longitudo naturalis: *A* insectum auctum.

11.ª *Heterotoma spissicornis.*

a longitudo naturalis: *A* insectum auctum.

12.ª *Podops curvidens*, nob.

a longitudo naturalis: *A* insectum auctum: *B* capitis lobi magis aucti, *a* lobus medius, *b b* lobi laterales.


Fig. 1
Fig. 2
Fig. 3
Fig. 4
Fig. 5
Fig. 6
Fig. 7
Fig. 8
Fig. 9
Fig. 10
Fig. 11
Fig. 12